15. 8. 43

DISSERTATIO
HISTORICA
APOLOGETICO-CRITICA
DE AUREO LIBRO,
CUI TITULUS
COMBATTIMENTO SPIRITUALE

Del P. Innocenzio Savonarola di Padova, Teatino.





VERONÆ MDCCXLVII.

TYPIS JACOBI VALLARSII

SUPERIORUM PERMISSU.

TYPOGRAPHUS LECTORI

CUm Anonymus Liber hic in manus mihi inopinate inciderit, eumque judicii ſeveritate, eruditionis copia, rationum momentis optime apud literatos homines audire deprehenderim, typis vulgandum cenſui. Etſi enim plurimæ adverſus veritatis obtrectatores vindiciæ, plurima ἐρίςικα ſcripta ad hanc uſque diem Hiſpanice, Gallice, Italice producta ſint; ut auctori ſuo P. D. *Laurentio Scupolo* Aureum vindicetur opus; me tamen acta iterum agere, haud quaquam culpaveris, Lector,

namque plurima in hac Latina editione enormi pene labore, ac ſumma induſtria congeſta reperies, quibus una ſemel defenſione in univerſum omnibus reſpondetur, & veritatis Critica γνωρίσματα omnia expenduntur; ita ut niſi partium ſtudium veritatis amorem prorſus extinxerit, in id conſentias neceſſe ſit, celeberrimum Opus nonniſi per fraudem, ac contumeliam *Laurentio Scupolo* ſubreptum, huic merito ac jure eſſe adjudicandum; verum eſt enim illud Euripidis, neminem injuſta poſſe tam bene tueri ... μὴ δύνασθαι τ'ἀδικ' εὖ λέγειν ποτέ.

Euripid. in Hecub.

Er-

Error, cui non resistitur, approbatur; & veritas, cum minime defendatur, opprimitur.

Innocent. II. Can. Error. Distinct. LXXXIII.

DISSERTATIO
HISTORICA APOLOGETICO-CRITICA
de Aureo Libro, cui titulus
COMBATTIMENTO SPIRITUALE.


Axime erat optandum, ut Aureus ille, Italica lingua primum editus, liber, qui inſcribitur: *Combatimento Spirituale*, ſicut rei gravitatem ſuo ipſe titulo prænunciat, ita etiam Auctoris nomen multo potiori jure præſeferret. Nam cum Italia tota ad eum perlegendum ſtudio inflammato raperetur, ejuſque urbes prælo certatim demandarent: atque inde per Gallos primum, tum per Germanos, Belgaſque, tandem per ampliſſimum Hiſpaniarum Regnum, & Luſitanum, & Britannum, & Polonum pervagaretur: cumque Europæ finibus egreſſus, Aſiam percurreret, & ad extremos uſque Indos, decem tantummodo interjectis annis, perveniſſet; factum eſt, ut adoleſcentes rudimenta pietatis, & Sacris addicti divinum cultum, & Popu-

li in suos Principes reverentiam, & Magistratus justitiam, & mortales omnes virtutem ipsius præceptis edocti, quis Auctor esset eximii Libri cupidissime percontarentur. De qua profecto re nemo dubitasset, si, aut Auctor minus modestus fuisset, aut minus Liber inclaruisset. Quoniam vero, & ille nomen suum præ animi moderatione suppressit, & Libri summopere fama percrebuit, brevique tempore longe lateque perlata est; homines quidam, aut Operis Scriptorem sciscitari negligentes, aut fervidiore, quam par erat, gloriæ cupiditate rapti, tuto, fidentique animo, sibi adsciscere, & tamquam suum aliis venditare cœperunt. Haud aliter Græciæ Civitates Homeri sibi laudes tribuentes suum concivem esse voluerunt. (a) At vero cum certus tandem Auctor *Laurentius Scupoli Clericus Regularis* produceretur, cumque re cognita sæpius ejusdem nomine Typis emanaret, non tamen e loco, quem minus æque invaserant, decessere: un-

de

(a) *Cicero* pro Archia num. 14. *Plut* in Vit. Hom. *Leo Allatius* lib. de Hom. *Fabricius* Biblior. Græc. Tom. I. Lib. II. cap. 1. de Hom. num. 8.

de fit, ut qui in hac caussa instructi non sunt, facile in dubium, erroremque trahantur. Nos igitur aliquid de amplissimis hujusce Libri laudibus, & de mira, atque incredibili, quam per totum Terrarum Orbem consecutus est, dignitate scripturi, ejusmodi adversariorum fidem, quæcumque tamen apud cordatos Viros ea sit, ante omnia infirmandam esse ducimus; ut & indubiæ laudes Auctori suo tribuantur, & cum *Filiorum virtus gloria Parentum sit* (a), Clericorum Regularium familia, quæ eumdem *Laurentium* quondam gaudens inter Filios amplexa est, ejusdem modo laudibus, honoribusque haud ancipiti mente perfruatur. Quæ omnia, ut plana fiant, dilucideque tractentur, primum de hujusce Libri origine, atque certo Auctore, tum de præstantia, atque incredibili ubique locorum propagatione, differemus.

Atque, ut a primo exordiamur, *Laurentius Scupoli*, inter suos Franciscus, claro genere Hydrunti, quæ in Salentinis princeps, ortus, annos quadraginta patrios inter lares litterarum, non

(a) *Nazianz.* Epist. CLIII. Gregorio: Τέκνων ἀρετὴ δόξα πατέρων.

minus ac pietatis ſtudiis vacans peregit. Sed cum, circumſtrepentibus ſæcularibus curis, Spiritus Sancti dulcedinem plane deguſtare non poſſet, Chriſti monitis obtemperans, tulit Crucem ſuam, & ſequutus eſt eum. Quapropter cum Clericorum Regularium Familiam, & integerrima inſtitutæ vitæ ratione inſignem, & virtutum exemplis conſpicuam, & mortalibus juvandi ſtudio inclytam fama celebraret, Dei vir, nulla mora, patria excedens, atque a parentum, propinquorumque amplexibus clam aufugiens, ad illam Neapoli florentem cupidiſſime convolavit; & a S. Andrea Avellino, qui D. Pauli Majoris domum adminiſtrabat, maxima ultro, citroque voluptate ſuſceptus eſt. Hic inter Novitios adſcitus, & ab omnibus mundi furentis tempeſtatibus, ut loqueretur Dominus ad cor ejus, ſejunctus, tranquillitatem vitæ, quæ, ut Plato ſapientiſſime diſſerebat, *accommodatiſſima eſt, cum ad alia, tum ad ſcientiam, & virtutis exercitationem*, (*a*) expertus, Regularis diſciplinæ tyrocinium poſuit, in quo tan-

(*a*) *Plato* de tranquil. σοφὸν ἔοικε χρῆμα τὸ τῆς ἡσυχίας πρός τε ἄλλα, καὶ εἰς ἐπιςήμην, καὶ φρονήσεως μελέτην.

tanta celeritate festinavit; ut Gigas ad currendam viam exultasse videretur. Patiens in laboribus, omnia pro Jesu Christo sibi sustinenda putabat; frequens in meditationibus, diu, noctuque in Crucifixi contemplatione defigebatur; demissus animo, nihil se vilius credebat: amore in suos, caritate in alios efervescebat, omnesque virtutes, quas Beatus ille Doctor, qui Tyronum instruendorum fungebatur munere, proponeret, sedula cura prosequebatur; adeo ut senioribus etiam Paternarum legum vivum proponeretur exemplar. Hoc sanctimoniæ studio solemnibus emissis Religionis Votis anno supra millesimum septuagesimo primo, & quingentesimo, XII. Kal. Febr. Placentiam primum profectus est, ubi piissimo Cardinali de Aretio, Clerico olim Regulari, Ecclesiam illam post Bernardinum Scotti, Clericum itidem Regularem, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, ministranti, jucundissimus fuit. Mediolanum inde, B. Andrea Avellino illius domus Præposito studiose vocante, se contulit. At cum Genuensium Civitas teterrima pestilentiæ labe laboraret, & morbus aspera diuturnaque

necegrassari diceretur ; *Laurentius* ratus, sanguine, & vita posita, amoris pignus proximo se se daturum, ut ad eam urbem evolare posset, precibus impetravit, ibique caritatis eximiæ officia aggressus, difficile dictu, quanta cura, quantaque alacritate in aliorum spiritualem salutem contenderit, & quoties animam pro iis posuerit, ægros cibis reficiens, dulcissimis recreans verbis, extremisque mysteriis communiens ; ut unus vir omnibus omnia factus esse videretur, nec ulli eorum postponeretur, ex Teatina Familia clarissimis alumnis, qui strenue, eadem peragentes munera, occubuere. Sed quoniam teste Chrysostomo, *ibi multæ insidiæ, ubi clarior emicat virtus* (a), iniquo animo lividus mortalium hostis tantam virtutem cum adspectaret, impia criminatione per scelestissimum hominem impetum in eum fecit, eoque res brevi ducta est, ut Quæstione citissime instituta, Acta ejus, Congregationis Generalia Comitia, Marcello Tolosa, Matthæo Benzio, Paulo del Tufo integerrimis viris examinanda demandarint.

Hæc

(a) Homilia I. ad Pop. Ant. ἔχει πολλαὶ ἐπιβυλαι, ἔνθα ἀρετή.

Hæc quoniam fama vulgata sunt, ut probaret electum Dominus, omnes plausus evanescere; qui eum jampridem laudibus evehebant, adversari sensim, & irridere; deinde apertissime pene criminari, ut opprobrium gentium factus esse videretur. Cum tamen piissimus vir intelligeret, *eis, qui docent cæteros, non voce tantum, sed moribus esse docendum* (a), invicta patientia toleravit, numquam aspectu immutatus est, neque ab ea, quam scriptis instituit, (b) animi constantia, recessit. Itaque factum est, ut postquam per aquam, & ignem contradictionum fidelis transiisset, in refrigerium esset, & illi, non solum æternæ, sed præsentis quoque gloriæ corona duplicaretur. Quam tamen timidus, & pius, refugiens aliquantulum a curis omnibus, soli Deo, sibique notus, secessit; ut & facilius Sacrarum Scripturarum Patrumque lectioni assiduam impenderet operam, & proinde majori conatu asperam adversus Infernum pugnam, vindictamque susciperet.

 Ceu

(a) D. Gregor. Nazianz. Tetrast. 4. pag 68. Ed. Basil. ἢ μὴ διδάσκειν, ἢ διδάσκειν τῷ τρόπῳ

(b) Vid. Pugn. Spirit. XVIII. XII. XLI. & passim.

Ceu prudens militum Dux, qui cinctorius hostium innumeras copias, ac densissimas acies petiturus, agmina sapienter, antequam congrediatur, secum ipse in contubernio disponit, ita sanctissimis curis communitus in solitudine *Laurentius*, Janua secedens anno 1588. cum Sylvestro del Tufo, Venetæ domus electo Præposito, Venetias se contulit, quæ arena fuit, in quam cum alacri animo descendisset, Angelis, hominibusque spectaculum factus, vitam perfecte institutam, cælestem inde traduxit, ac Sanctorum virorum, qui aderant exemplis mirifice conformavit, tanto ardore spiritus, tantaque animi, corporisque demissione, ut admirantibus gravissimis illis viris, necdum viliora ejusdem domus munera obire, verum etiam, fratrum Laicorum more, decurtata veste indutus, incedere in deliciis haberet. Imprimis animarum saluti, veluti tali potissimum cælitus ministerio præfectus, ardentissimo studio procurandæ totus incubuit, & quosdam scriptis, plures voce, innumeros exemplo instituere aggressus, ex superati hostis exuviis, hostias Christo locupletissimas adjecit.

Hæc

Hæc dum strenue perageret, quædam ipsius scripta, quæ ad piæ Virginis institutionem elucubrarat, quæque maxima animarum fruge jampridem quorumdam manibus teri cœperant, Comes Hieronymus senior de Porcia, eximiæ virtutis Sacerdos, & Theatini instituti cultor munificentissimus, cui moniales a D. Andrea ea in Civitate curæ erant, ipsis fortasse, inter quas assidue versabatur, Theatinis præbentibus, legit; ac cælestem in ipsis doctrinam admiratus, existimans se animabus sibi commissis optime consulturum, si hæc scripta ipsis degustanda propinaret, statim typis, ut in lucem ederentur, demandavit, hac tantummodo adhibita Nomenclatura, atque titulo: *Combattimento Spirituale, ordinato da un servo di Dio. Venezia appresso i Gioliti de' Ferrari* 1589. 12. (*a*) cui Libro, quem, ne vulgo injurii simus, Pugnam Spiritualem semper vocabimus, suppositam Nuncupatoriam adjecit. *Alla Molto Reverenda Madre Abbadessa, e Suore del Monasterio di S. Andrea di Venezia*

 deside-

(*a*) Extat hic Liber Venetiis in Biblioth. Cler. Reg. vulgo *Somaschi della Salute*, & apud Cl. V. Cajetanum Volpi Pat. & alibi.

desiderose della Perfezione Christiana.

Io mi sento tanto obbligato all' ardente voglia, che in Voi ho conosciuta di camminare sempre più innanzi nell' amore del Crocifisso, che ...... essendomi capitati alle mani alcuni Scritti intorno alla mortificazione delle proprie passioni, della quale vi ho tante volte ragionato, mi è parso per consolazione, ed ajuto vostro di mandarli alle Stampe, e dedicarveli. Perchè essendo la Vita nostra una Battaglia sopra la terra, ve ne potrete servire per combattere contro Voi stesse...&c.

Servo in Cristo

Girolamo Co: di Porzia il Vecchio.

Cum vero hoc animadverteret *Laurentius*, & a piis Viris novam sui Operis expeti Editionem intelligeret, suum etiamnùm dissimulans nomen, novem adjecit Capitula. Quibus appositis iterum recusa fuit Pugna hisce ad Lectorem monitis: *Essendo questo Trattatello del Combattimento stato composto dall' Auttore non per farlo vedere agli occhi del mondo, ma per compiacimento di alcune pie menti, che lo ricercavano, pervenne poi in mano di Persona, che lo diede alle Stampe. E dovendosi ora per molta istanza, che da più parti è stata*

fatta, ristampare, vi sono state dallo stesso Auttore a' prieghi altrui aggiunte alcune cosselle, che saranno di giovamento, e consolazione ad ogni persona Spirituale. Quod & Generalis S. Officii in Serenissimo Venetorum Imperio Quæsitor testatus est: *Avendo veduto prima, ed ora riveduto Io Fra Stefano Guaraldo da Cento Inquisitore Generale di tutto lo Stato della Serenissima Signoria di Venezia il Trattato del Combattimento Spirituale &c.* Hac secunda Editione novem adaucta Capitibus D. ille Franciscus Salesius maximus hujusce Libri existimator, a Cl. Regulari donatus fuit, ab eodem fortasse Scupoli, quem Patavium per ea tempora sæpius advenientem, Patavinæ Domus Ephemerides recensent; (a) eamque per plures annos in perula deportavit: quæ omnia per eximium Virum Joannem Petrum de Camus Bellicensium Episcopum, maximaque cum Salesio, dum viveret, consuetudine conjunctum, probata fuere: cujus clarissimi Præsulis hæc verba (b): *Je lui de*

(a) Ephemerid. Domus SS. Simeonis & Judæ Patavii an. 1589. 1590. 1591.

(b) Esprit de Saint Francois de Sales, partie XIV. Sef. 15.

mandois un jour qui etoit son Directeur: Il tira de sa pochette le Livre du Combat Spirituel, & me dit: Ce voila: c' est celuy, qui avec Dieu, m' einseigna de ma jeunesse; c' est mon maitre aux choses d' esprit, & de la Vie interieure. Depuis, que j' etois ecolier a Padoüe un Theatin me l'einsegna, & me le conseilla. J' ai suivy son avis, & m' en suis bien trouvè. Il a etè composè par un Saint personnage de cette celebre Congregation, qui a cachè son nom particulier, & la laissè courir sous le nom de sa compagnie.... Et hæc eadem Editio est, quæ Mediolani anno 1593. atque Bergomi an. 1594. prædictis aucta Capitibus, recusa, primum Clericorum Regularium nomine evulgata est, nisi forte altera prior Editio, Venetiis, quod & ex Salesii verbis colligere posse videmur, (a) eàdem Cle-

(a) Etenim, ex Vitæ ipsius Scriptoribus, patet Beatum virum ab anno 1591. mense Octobris Patavina ex Urbe cessisse, & ex suprac. verbis: *depuis que j' etois ecolier a Padoue un Theatin me l' einsegna..... il a etè composè par un Saint personagge de cete celebre Congregation*, colligitur Auctorem Theatinos novisse Patavii dum degeret; vel ex Theatinis ipsis magnum per id tempus testimonium; vel ex aliqua Editione nomen Theatinorum ferente, assecutum esse.

Clericorum Regularium nomenclatura præcesserit. Quæ tamen conjectura, quæcumque sit, id inficias eundum minime est, Sanctum Milani unam, & alteram fortasse harum Editionum procurasse, quarum primam Danieli Piantanida concivi per Cominum Ventura Librarium, inter cætera his usus verbis, nuncupavit....... *è opera di uno dei PP. Cherici Regolari detti Teatini, che sebbene con questo pensiero non lo compose, pure è piacciuto al Signore, che per consolazione e giovamento delle anime sia veduto* (*a*).

Interea brevissimo temporis intervallo pretiosus hic Liber ex Italiæ finibus in alienarum gentium utilitatem, & emolumentum pervaserat. Nam in Germania primum ex Italico exemplari in Germanicum; deinde Friburgi ex Italico-Germanico in Latinum; Tum Lutetiæ Parisiorum ex Italico in Gallicum; Londini ex Italico, Germanico Latino in Anglicum; Barcinonae ex Italico in Hispanum conversus; denique in Asia, Eoisque Indorum terris, non minus ac Occiduis Regionibus barbaris linguis

(*a*) Hæc Editio asservatur a Cl. Volp. Patavii, & ab aliis, ut infra.

linguis prolatus, totum Terrarum Orbem occupavit, quinquaginta circiter Editionibus, antequam Auctor, qui studiosissime suum nomen celarat, ad Superos migraret, iteratis. Quo hominum consensu, ac studio, cum Auctoris clarissima imago in Libro, cælestibus referto documentis, pertraheretur, ipse, cui & aliis Civitatibus erat evangelizandum, Venetiis Neapolim se contulit, ubi religiosi spiritus fundamenta jecerat, ibique eodem Beato Andrea Avellino socio, ac exemplari, virtutum gradibus ad perfectionem ascendens, mirum est quantum in via Domini progressus sit, quantumque Pugnæ Spirituali, illius adhibitis consiliis, perfectiorem manum adjunxerit: quam plurimis immutatis, atque perpolitis, & septem adjectis, ac triginta capitibus elaboratam Jesu Christo Servatori, Supremo Militantis Ecclesiæ Duci, dissimulato itidem suo, non Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum, quod nec poterat, nec par erat, nomine, piissima hac concepta Epistola, D. D. Donavitque.

Al Supremo Capitano, e Glorioso Trionfatore Gesù Cristo Figliuolo di Maria.

PErchè sempre piacquero, e piacciono tuttavia a V. Maestà i sacrificj, ed offerte di Noi mortali, quando da puro cuore a gloria Vostra le vengono offerte; perciò io le presento questo Trattatello del Combattimento Spirituale dedicandolo alla D. V. Maestà. Nè mi tiro addietro, perchè picciolo sia questo Trattato, che bene so, che Voi solo siete quell' alto Signore, che si diletta delle cose umili, e spregia i fumi e pretendenze del Mondo. E come potevo io senza biasimo, e senza danno ad altra persona dedicarlo, che a V. Maestà Re del Cielo, e della Terra? Quanto insegna questo Trattatello, tutt' è Dottrina Vostra, avendo Voi insegnato, che sconfidati di noi stessi, confidiamo in Voi, Combattiamo, ed Oriamo. Innoltre se ogni Combattimento ha bisogno di esperto Capo, che guidi la Battaglia, ed innanimi i Soldati, i quali tanto più generosamente combattono, quanto che militano sotto un' invincibile Capitano, non ne averà forse bisogno questo Combattimento Spirituale? Voi dunque eleggemo Cristo Gesù noi tutti, che

già risoluti siamo di combattere , e vincere qualunque nemico, per nostro Capitano , il quale avete vinto il Mondo , il Principe delle tenebre, e con le piaghe , e morte della Vostra sacratissima Carne avete vinto la Carne di tutti quelli , che hanno combattuto, e combatteranno . Quando io ordinava, Signore , questo Combattimento , avea sempre nella mente quel detto: Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis . *Se senza Voi , ed il Vostro ajuto noi non possiamo avere pensieri, che buoni sieno , come potremo da noi soli combattere contro tanti nemici potentissimi , ed evitare tanti innumerabili , ed ascosi lacci? Vostro è, Signore, da tutte le parti questo Combattimento , perchè , come ho detto , Vostra è la Dottrina , e Vostri sono tutti i soldati Spirituali , tra' quali siamo* noi Cherici Regolari Teatini, *onde tutti chini a' piedi della Vostra altissima Maestà vi preghiamo, che accettiate questo Combattimento , movendoci sempre, ed innanimandoci colla Vostra grazia attuale a vieppiù generosamente combattere , perchè noi non dubitiamo punto , che combattendo Voi in noi, non siamo per vincere a gloria Vostra, e della Vostra SS. Madre Maria.*

Umilissimo servo comprato col Vostro Sangue
D. Lorenzo Scupoli Cher. Regol.

Qui quidem liber Autographus Neapoli in D. Pauli Tabulario asservatus, & facile ac libentissime cuique cupienti aperiendus, numquam, quandiu ipse in terris egit, renuente modestissimo Viro, in lucem prolatus est, nisi auctoris nomine omisso. In Isagoge vero ad Lectorem hæc adjecit: *Sono alcuni anni, ch' io scrissi l' aggiunta al Combattimento Spirituale, che ora è stampata in Cremona, ed in Bologna; ma perchè è stata alterata in diversi modi, che a me non piacciono, e vi sono di più poste alcune cose, che non sono secondo il mio proponimento, che ho avuto sempre nell' ordinare questo Combattimento; perciò mi sono creduto in debito di espurgarlo, e darlo poi in mano di altri, perchè se ne faccia quel tanto, che lor parerà doversene fare. Ricevilo dunque, o Lettore, come Aggiunta al* mio *Combattimento Spirituale*, quæ omnia per pium Virum Henricum Bacco, maxima cum *Laurentio* nostro necessitudine conjunctum, Neapoli anno 1603. impressa (*a*), Authographa in eodem D. Pauli Majoris tabulario adservantur. Hanc Editionem sexaginta Capita præferentem

(*a*) Hujus Authographi prima Editio reperitur in Bibliot. Cler. Reg. Patavii.

tem Typis Bononiensibus, Neapolitanis, Romanis, Placentinis, Parisiensibus, ut in fine hujus Opusculi videre est, repetitam cum adhuc *Laurentius* in humanis ageret, iisdem ad Jesum, & ad Lectores praemissis, probati Viri Clericorum Regularium ordini vindicarunt. Quod praecipue Anonymus Doctor Sorbonicus Parisiensis, qui Pugnam Spiritualem Gallice versam D. Salesio, adhuc in terris agenti, dicavit, luculentissimo hoc testimonio comprobatum reliquit. *L' auteur (du Combat) m' a ete inconnu jusq' a l' anee derniere, qu' un de mes Amis m' apporta d' Italie quasi tout change, & enrichy de pres de la moitie. Et parceque j' ai appris per cette derniere edition de qui el etoit, j' ai pense que ces Peres (Fueillans) auroient agreable, que j' en dise quelque chose, non seulement pour ne fruster ses Autheurs de cette petite partie du fruit de son travail, qu'encor pour augmenter la creance de cette oeure, & pour le faire estimer, & rechercher d' avantage quand l' on scaura, qu' il a ete compose par les Reverend Peres Theatins. Ces sont des Pretres, & Clercs Religieux, qui observent une pauvretè merveilleusement exacte. Car*

non

non seulement ne peuvent avoier revenu asseurè, mais ils nè peuvent pas meme demander l' aumone quand bien leur vivre ordinair leur manqueroit. Et toutfois (effet admirable & digne recompense dela grande confiance, qu' ils ont en la Divine Providence!) leurs Eglises sont fort superbement baties, anrichies, & extremement bien parees. Ils sont bien accomodez chezeux; vivent, & se vestent fort bonnetement; ils ont grand quantite de beaux, & rares esprits: aussi sont-ils tous ou Gentilhommes, ou des Maisons honorables: ils s' appliquent fort bien a l' oraison..... Hæc & plura pius ille vir, quibus non minus Auctori laudes ex præclarissimo Libro, quam ex Instituto, & Congregatione suæ tribuisse videtur: *(a)*

Præcipuum Pugnæ Spiritualis Opus indefessus in animarum salute procuranda

(*a*) Exemplar hujus Editionis Parisiis 1608 peractæ invenitur in Bibliot. Theatinorum Patavii, & nova Editio secunda edita Parisiis 1646. habetur Venet. in Bibliot. Cler. Regul. de Somascha hac insignita Inscriptione *Combat Spirituel faict & composè par les RR. PP. les Prestres Regulieres appellez communement Theatins, & per eux reveu, corrigè, & augmente novellement traduit par D. S. Parisien Paris....*

randa *Laurentius* opuſculis àliis locupletavit. Sicut enim ſtrenuus, ſapienſque Princeps urbem ſuam propugnaculis undique circumſepit, & nova ſemper præſidia parat, ut ſi forte inimici vel dolo irrepere, vel multitudine atque impetu ſuperare contendant, eodem appoſito vallo detineantur, donec illos aut tempus diſſolvat, aut defenſio frangat, aut hoſtium adventu præcognito validiſſime ſtet in armis, & inferrentes ſigna propulſet: ita *Scupoli* Maximus Spiritualis Militiæ Dux, & Magiſter, cum contra hoſtes irruentes Librum ſuum tamquam firmiſſimam tutiſſimamque arcem jam extuliſſet, multis illam opportunis Tractatibus, ac Doctrinis, quibus inimicorum ira, impetuſque frangeretur, ſapientiſſime circumvenit. Itaque Primo emiſit Opuſculum, cui Titulus: *Li dolori mentali di Gesù Criſto*. Quod opus a B. Verana piiſſima Virgine cælitus edocta jampridem adumbratum, Neapoli primum, deinde Mediolani anno 1515. impreſſum, cum vetuſtatis injuria *Laurentius* vindicaſset, perpoliſſetque, facile quamplurimi, antiquarum Editionum notitiis parum verſati, *Laurentio* adjudicarunt, quos

inter

inter Anonymus in Gallica versione Parisiensi 1649., Clarissimus, & incredibilis pene diligentiæ Vir, Cajetanus Volpi in prima sua Cominiana Editione an. 1724. & ex Theatinis quidam, sive ea, quæ inter Scriptores vigebat fàma, decepti, sive neglectò investigandi studio, quo *quandoque bonus dormitàt Homerus*, quoque in eorum disquisitione, quæ bona fide possidemus, minus attente solemus incedere. (*a*) De quo Opusculo, *Laurentii* curis emendato, cum Sanctus Milani verba fecisset (*b*); Emanuel inde Grignon ejusdem Congregationis Sacerdos, Pugnæ Spiritualis studiosissimus, cujus diligentia perplura nos accepisse libenter fatemur. illud opusculum, secundum *Scupoli* làborem, fuisse confirmavit: (*c*) *ultimamente*

(*a*) Vide Georg. Teret. Instruct. Idiotæ Cap. IV. Quæst. XIII. & infra § 5. num. 9.

(*b*) Ed. Berg. 1593. & Ed. 1594. . . . . . . *lo indrizzo a V. S.* (Danielo Piantanida) *la ristampa del Combattimento Spirituale insieme con alcune poche, ma veramente divine Meditazioni de i Dolori mentali di N. S. che appunto sono state rivedute, e corrette da detti RR. PP. Teatini . . . . .*

(*c*) In opere Hispano sic inscripto, *Relaccion Historica del Origen, Aumento, y ultima perfeccion*

mente deseando el Ven. Escupoli emplearse en el major provecho de las Almas se aplicò (despues de aver coregido el antiguo, y devoto tratado de los dolores mentales de Christo) a reconocer &c. Quibus documentis nuperrime refertus Cl. Volpi, Librorum collatione facta, recondito hoc monumento orbem illustrare necessarium duxit (*a*). *Il Padre Scupoli abbattutosi in detto Trattato, e piacendogli distintamente, lo averá estratto, pulito, e reso familiare. Il quale trovato essendo forse tra' suoi scritti dopo la morte di Lui, si sarà creduta operetta sua originale.* Hoc etiam quamplurimi ea potissimum ratione ducti, quod eumdem S. Spiritus characterem, quem cætera ejusdem opera, redoleat, existimarunt. (*b*) Huc accedit, quod quemadmodum insignis Pictor, qui ævo, injuriaque obliteratam ignoti Auctoris tabulam suscitet, docta manu, micantibus coloribus, nobiliorique diagrammate fingat, ac exprimat, non instaurator tantum,

feccion del Libro de Oro intitulado Combatte Espiritual. Escrita per D. Jayme Elpidio Cayetano de Thiene pag. 8.

(*a*) Edit. Patav. 1737.

(*b*) Vid. *Anonym.* in Gallica versione Parisiis anno 1649. in Præfatione.

tum, ſed & Auctor habendus eſſe videatur; eadem plane ratione rudis, incomptique Operis inſtauratorem *Laurentium Scupoli*, Auctorem principem dicendum eſſe putarunt; quod quamplurimis aliis doctiſſimorum Hominum, & SS. Patrum operibus eveniſſe, & quotidianus uſus approbat, & Scriptores, qui de hac re peregerunt (*a*), teſtimonio exempliſque innumera monumenta prodidere (*b*). Quæ cum ita ſint, jam piæ Veranæ opuſculum ſatis præclarum reſtituatur, quod nec a nobis ullis inſidiis petitur, nec *Scupoli* gloriæ ac ornamentis neceſſarium eſſe judicamus, eo præſertim quia *Laurentius* ipſemet, ingenuæ veritatis ſtudioſiſſimus, cum in Editionibus Bononienſi 1601., & Cremonenſi 1602. Dolores Mentales ſuæ Spirituali Pugnæ adjectos conſpexiſſet, alienis ſpoliis non indigens, eos ab opere ſuo prorſus ac penitus

elimi.

(*a*) *Theophilus Raynaudus* Erotemata de bonis & malis Libris, *Poſſevinus* : Johannes *Clerici* : *Eraſmus* : *Cave*, *Du Pin*, & *paſſim*.

(*b*) *Sciendum eſt, veterem hunc errorem eſſe, ut claris Scriptoribus multa tribuantur, quæ ab eis ſcripta non ſunt. M. Antonius Mureto Orat. habita Romæ poſtrid. Non. Mart. an.* 1576. *de Arte Rethor.*

eliminavit, his clarissimis, quæ supra retulimus, verbis in Isagoge ab ipso præposita Editioni Neapolitanæ ab Henrico Bacco procuratæ; *Sono alcuni anni, che io scrissi .... ma perchè è stata alterata in diversi ..... e ci sono di più poste alcune cose, che non sono secondo il mio piacimento, che ho avuto sempre ..... perciò mi sono creduto in debito di espurgarlo*. Quod revera fecit in supradicta Editione, a qua Dolores mentales expuncti fuere. Secundo edidit opus, quod inscribitur: *Sentiero del Paradiso*, o sia *della Pace Interiore*. Florentiæ anno 1600. tum Bononiæ 1603. & alibi locorum. Tertio: *Modo di consolare, ed ajutare gli Infermi a ben morire* (a). Quarto scripsit: *Il modo di recitare la Corona della Madonna*, quam pulcherrimam opellam Divinæ Scripturæ floribus mirabiliter innexam ab Editione Neapolitana 1610. Bononiensis, aliæque accepere. Hæc cum optime absolvisset, operi suo extremam manum admovere peroptans, novem, antequam e mortalium consuetudine removeretur, mensibus, Pugnam Spiritualem duas in partes distributam Lazaro Sco-

rigio

(a) *Neapol.* 1599 *primo editum*.

rigio publici juris faciendam nonis Mart. an. 1610. demandavit hoc titulo : (a) *Combattimento Spirituale ordinato da un Padre de' Cherici Regolari detti Teatini, aggiuntovi dallo stesso Auttore un divoto modo di recitare la Corona della Madonna*. Prima pars quadraginta & octo Capita profert ; secunda vero septem, & triginta, monente typographo, *Auctorem in D. Pauli Domo degentem, plura de agone mortis capita, peculiari perinde libello evulgaturum, selegisse*. Hanc primam partem Typographus nobilibus Oratorii Viris, hisce præ cæteris habitis, dicavit : *Essendomi capitato alle mani il Combattimento Spirituale composto da un Padre de' Cherici Regolari, con una bella, e nuova giunta di altri esercizj divoti fatti* dallo stesso Auttore *con molta prudenza, e spirito, dedicata al Gloriosissimo Capitano Cristo Trionfatore; non istimo fuor di proposito dedicarlo anche alle Signorie loro, che sotto allo stesso Capitano in codesto Santo Oratorio, fondato, e governato dalli stessi PP. Cherici Regolari, valorosamente, e con edi-*

 ficazione

(a) Extat mſ. in Tabulario D. Pauli Majoris Neapoli, & habetur impressa in eadem Urbe, eodemque anno per Garganum.

ficazione universale combattendo, militano... Napoli 8. *Marzo* 1610. Secunda pars, eodem Scorigio procurante, hoc titulo prodiit: *Nuova giunta al Combattimento Spirituale, composta dallo stesso Auttore de' PP. Cherici Regolari, detti Teatini*; cui addita hæc Auctoris contestatio, quam ad summam caussæ nostræ claritatem educere minime piget: *Ritrovandomi io, Lettor divoto, in certe mie carticelle alcune Regole, e punti, perchè l' uomo dal vizio si dia alla virtù, e dalle Creature a Dio, le ho raccolte per me, e per te, a cui sono egualmente debitore. Sicche ti prego le ricevi come Giunta al* mio *Combattimento Spirituale, esortandoti in Cristo Gesù, a cui &c.* Hæc est pars altera Pugnæ Spiritualis eodem tempore, eodemque Typographo, ac iisdem Nobilibus Oratorii SS. Crucifixi dicata sodalibus, in eadem D. Pauli Domo pietate eximia florentibus, in qua Auctor vigiliis multis, & precibus assiduis sedulo, postquam omnia, ad quæ missus fuerat, complevisset, Domini adventum expectans, Legem illius meditabatur. Quo quidem tempore ex ipsius consociis quamplurimi immensam, quam ubi-

que-

que terrarum fuimet Libri opera animarum fegetem collegerat, admirantes, fecum fæpius de opere omnium voce celebratiffimo gratulari auditi funt. Ille vero foli Deo, a quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, laudes tribuere folitus erat, nec umquam cor ejus exaltatum eft, neque oculi elati. Quod per piiffimum Theatinæ Congregationis Virum Francifcum Maria Maggio memoriæ demandatum accepimus, ex non femel auritis teftibus, morum integritate, annorum auctoritate, atque virtutum fama graviffimis (a). Denique cum fatis fibi merita, fuæ Congregationi decus, animabus, quæ perennis erit, utilitatem, Chrifto uberrimum fructum attuliffet, invalitudinem extremam fubiit, & virtutum fpecimina, quibus

 quafi

(a) Sermone X. nella Novena di S. Gaetano cap. 2. *Atteftano con giuramento il P. D. Francefco Nifio, ed il P. D. Andrea del Pezzo Religiofi vecchj, e di molti meriti, e che hanno governato per molti anni la noftra Religione, di efferfi trovati prefenti nella Cella del Padre Scupoli, quando gli altri PP. il lodavano, e feco fi congratulavano del comun applaufo, che riceveva da tutti il Combattimento Spirituale, ed egli tutta in Dio la gloria rifondeva.*

quasi ardens lucerna, coruscarat, mirum in modum, antequam extingueretur, adauxit. Qui cum neque per diri morbi cruciatus, neque per larvales hostes de assiduo in Deum ardore paululum remisisset, octogenario major e mortali vita, æternis successurus præmiis, III. Kal. Decemb. an. 1610. pretiosa justorum morte, demigravit.

Ut primum ergo grave mortalitatis curriculum *Laurentius* explevit, Pugna Spiritualis, a qua studiosissime nomen arcuerat, celeritate, portento, ac prodigio similis, providente æterno Deo, ut qui se humiliat, exaltetur, glorioso Auctoris nomine ornata, processit. Nam cum vigesima nona Novembris die Neapoli decessisset, die decima nona Decembris Simeon Perlasca Spiritualem Pugnam, Cocchianis Typis, Bononiæ, hoc titulo eduxit: *Combattimento Spirituale di nuovo riveduto, & accrescinto dallo stesso Auttore il P. D. Lorenzo Scupoli de' Cherici Regolari detti Teatini*. *Quod Opus Monialibus D. Ursulæ cum dicasset, hæc ad rem nostram insuper scripsit*. ..... *Poco è il dono, guardandosi il volume; ma molto è il profitto, che se ne può trarre, essendo parto di quel gran Padre,*

Padre, di cui porta ora il nome in fronte : poiche non avendo voluto per sua umiltà (mentre vivea) porvi il proprio nome, è piacciuto a Dio, che toccasse a me di pubblicarlo al mondo ora, che gode, siccome spero, la eterna vita (*a*). Hoc & iisdem Typis, eademque in Urbe post duodecim tantummodo dies (mira quidem, & præcipitata celeritas) in Pugnæ Spiritualis nuncupatoria Carolus Manolesso confirmavit. Hoc perinde Ambrosius Maja, Juris utriusque Doctor, qui Auctorem Neapoli intime noverat, Panormitana in Editione anni 1615. publici juris fecit, atque Thomæ Anchora C. R. Neapolitani, Siciliæ Proregis a Confessionibus, auctoritate munivit. Hoc Andreas Piscara Castaldo, maxima cum *Laurentio* necessitudine conjunctus, dum Clericorum Regularium Ordinem moderaretur, totius Congregationis consensu, Typis Romanis anno 1615. publice, & apertissime declaravit. Hoc tresdecim incontaminatæ fidei Viri, quorum aliqui Episcopali dignitate insignes, aliqui ad supremum Theatinæ Congregationis Re-

[*a*] Hæc, & sequens Editio, extant ir Biblioth. Theatinorum Patavina, & Bononiensi.

gimen evecti, & omnes probatissimæ pietatis fuere, *Scupoli* coævi, ac contubernales jurejurando posteritati demandarunt, quorum nomina oculis nostris perspeximus scripta in calce cujusdam Editionis Venetæ 1609. quæ in Tabulario Sylvestrino Romæ asservatur, & qua in Emendatione Operis usus est anno 1657. Carolus de Palma C. Regularium Consultor, ac Puteolanus Antistes. Hoc denique Franciscus Carafa Congregationis ejusdem Generalis Præpositus Alexandro VII. Pont. Max. in Romanæ Editionis Nuncupatoria 1657. extra omnem dubitationis aleam testatus est. Proh utinam omnes homines tam perspicuæ veritati assentirentur: promeritam enim gloriam, quam studiose piissimus vir effugit, nunc inter cælites collocatus obtineret, & in terris utique esset in pace locus ejus.

Sed quidam, quæcumque illis mens fuerit, aurea hæc scripta ab illo avertere, tresque potissimum Viros aliena veste ausi sunt insignire; scilicet Hieronymum seniorem ex Comitibus de Porcia, Johannem de Castagniza Hispanum

[a] Bolvitus in Syllexi Scriptor. Cler. Regu. V. Laurentius.

num ex ampliſſima D. Benedicti Familia; & Achillem Galiardum Patavinum Societatis Jeſu alumnum clariſſimum: contra quos cum ſæpius, utinam ne omnino incaſſum, actum ſit, neque ultra Theatinorum decus, aliena urgente moleſtia, injuſte ſit lancinandum, nos, adverſantia refutando, profitemur *Laurentium Scupoli* Pugnæ Spiritualis Auctorem omni cura, omnique conſtabiliendæ veritatis ſtudio, propugnaturos. Audivimus enim, & Xenophonta ſolemne hoc habuiſſe; *non tam grave bona non accipere, quam jam acceptis privari, eſſe ducendum* (*a*)

Primus itaque, cui præclara hæc Pugna attributa ſit, ſenior Hieronymus Comes de Porcia. Hunc Ciſtercienſes diſcalceati, ad Sanctum Honoratum prope Pariſios degentes, quos Fulienſes appellant (*b*), Auctorem exiſtima-

B 4 runt.

[*a*] Lib. VIII. Inſt. Cyri. *ὀυ γὰρ τὸ μὴ λαβεῖν τ'ἀγαθά, ὥσω χαλεπόν, ὡς τὸ λάβοντα στερηθῆναι.*

[*b*] Hoc nomine ex eo nuncupati, quia in Cœnobii primævi Templo Virginis Iconem floribus, frondibuſque circundatam habebant. *Bonanni* Catal. ord. Relig. Part. I. pag. 111.

runt (*a*). Quam opinionem, nisi tempus jam obtrivisset, integrum nobis esset evertere. Sed quoniam, ut ait doctissimus Criticus (*b*): *Si quæ bene ab antiquioribus sunt rejecta, ea vix propter recentiorum auctoritatem admitti possunt*; cum hanc opinionem optime antiquiores deleverint, ne recentiores audeant, nisi pressis labiis, & submurmurante nutu, ut aliis negotium facessant, excitare, in ea reiicienda parumper immorabimur. Quod & majorem in modum apparebit, si quam absurda, & absona sit, perpendatur ex prima Editione, cujus proemialia verba supra retulimus, per Jolitas impressa. Sic enim scripsit in laudata Epistola Comes de Porcia...... *onde stando con pensiero di supplire in qualche parte al desiderio mio, ed al bisogno vostro, ed essendomi capitati alle mani alcuni scritti intorno alla mortificazione delle proprie passioni, delle quali vi ho tante volte ragionato, mi è parso per consolazione, ed ajuto vostro*

[*a*] Præfat. emisa *du Monastere de Saint Bernard au Faux-Bourg S. Honore de Paris le* 25. *Janvier* 1605.

(*b*) *Joannes Clerici* Arte Critica Parte III. Sect. II. Cap. III. pag. 343. Ed. Amstelodam. Postrem.

vostro di mandarli alle stampe, e dedicarveli..... Quod si aliunde scripta hæc se collegisse fatetur, quid est, quamobrem ipsius, qui recusat, testimonio fidem negemus? Huc accedit, quod in secunda Editione, eodem anno, eademque in urbe peracta, quam & idemmet typographus procuravit, *elucubrator, & editor* omnino diversimode recenseantur. Sic enim Typographus ad Lectorem: *essendo questo Trattatello del Combattimento Spirituale stato composto dall' Auttore, non per farlo vedere agli occhi del mondo, ma per compiaccimento di alcune pie menti, che lo ricercavano, pervenne poi in mano di Persona, che lo diede alle stampe.....* Quis opus typis mandavit? Hieronymus Comes de Porcia. Quis Auctor indicatur? Ille, qui scripta sua non evulganda arbitrabatur. Manifestum ergo est ex Editionum contextu Comitem de Porcia Auctorem Operis non fuisse. Hoc & pluribus in Editionibus, dum adhuc Comes de Porcia in humanis ageret, confirmatum esse, facile quisque intelliget. Nam Editio Messanensis, Cremonensis, Placentina, Bergomenses duæ, Neapolitanæ duæ, Bononienses duæ, Roma-

na, Placentina altera, & Parisiensis secunda per D. S. Anonymum patrata, errorem istum apertissimis argumentis refellunt. In quem errorem quomodo acti sint Fulienses, Parisiensis doctor, qui novemdecim post annos eamdem pugnam Spiritualem, repetita versione gallice eduxit, divoque Salesio, jam optime instructo, dicavit, sic elucidatum reliquit. *Au pieux Auteurs..... les RR. Fueillans .... estimant que le Comte de Porcia eut dresse ce Combat Spirituel le luy ont attribuè a l' inscription, & titre de leur traduction. Ce qui leur est eschappè pour n' avoir, a mon avis lu la lettre d' adresse de l' original Italien, qui est a le veritè souscrite de ce Comte de Porcia, le quel dit, que le traite luy etant tombè entre les mains, il le publie en faveur principalment des Religieuses de S. Andree, sans neamoins qu' il s' en face autrement connoi pour l' Auteur....* Quem tamen fortuitum errorem perbelle expurgavit Johannes a S. Francisco ipsius ordinis Fuliensium, quos dicunt Cistercienses discalceatos, Generalis, ne ipsis amplius obiiceretur, dum Pugnæ Spiritualis Auctores *Theatinos* fuisse in vita D. Salesii Præsulis, a quo fortasse

certior

certior factus fuerat, professus est, hisce usus verbis Italice ex Cominiana Editione, cum nobis deficiat Gallicum exemplar, desumptis (a): *Essendo capitata alle mani del nostro Santo la picciola, ma eccellente opera del Combattimento Spirituale, della quale i PP. Teatini sono gli Autori, sola egli la prese &c.* Neque nobis detrimento est in Editionis Placentinæ 1599. fronte fuisse appositum: *Combattimento Spirituale, ordinato da un servo di Dio, dato in luce dal Co: Girolamo di Porcia*: Nam si quis in lucem protulit, non idcirco Auctor censeri debet. Neque enim cum eadem aliquando Pugna Romæ hunc titulum prætulerit: *Battaglia Spirituale; Meditazione de i dolori mentali: Sentiero del Paradiso, dati in luce dal P. F. Domenico di Monteleone Minor Osservante;* Seraphicæ illius familiæ cuique in mentem venit, vel quisquam saltem suspicatus est, eam Franciscanis attribuere. Nemo porro dubitasset talia proferentem de supino errore esse compellandum. Eadem ergo ratione in caussa nostra agendum est. Ut autem majorem in modum isthæc veritas illucescat, eamdem

[a] Patavii 1724.

in celeberrimo Societatis Jesu viro jacturam consideremus. Achillis Galiardi, illius nempe, de quo infra reserit, Meditationes quædam sequenti titulo prolatæ fuere Vicentina in Urbe per Petrum Paulum Tozzi anno 1612. IV. Non. Martii Dianæ Sala in D. Stephani Patavii Antistitæ nuncupata: *Compendio della Perfezione Cristiana, dove si vede una pratica mirabile per unir l' anime a Dio. Opera di un servo di Dio, data in luce la prima volta dal P. F. Francesco Maria Francescano de' Minori Osservanti, ed in questa ultima Edizione della seconda parte accresciuta* (a). Quod Opusculum Quidam, severe Criticem pertractantes, Achillis Galiardi laborem esse negarunt, ex eo maxime arguentes, quod Ribadineira nullam de eo mentionem habuit, Philippus Alegambe nonnisi multos post annos tribuit, & Sotuelo, dum eam Opellam recenseret, Brixiæ tacito Auctoris nomine editam, vir de Libris & Editionibus caldissime instructus, hisce verbis incertis, & maxime obnoxiis crimini, usus est: *Ejusdem (Achillis) aureum*

(a) Extat in Biblioth. Cl. Regul Patavii, & Neapoli in Archivio domus SS. Apostolorum.

aureum libellum de Christiana Perfectione compendio exposita, varii, variis supposuere; sed revera est Achillis Galiardi Soc. Jesu. Quæ verba, probatissimi licet viri, nullo tamen suffulta testimonio, & argumentis, parum in contrariis diluendis valere, contendunt Critici. Nec minus alii, illam regulam criticam opponentes, *suppositi, nempe, libri certissimum esse indicium, si in veteribus libris alii tribuatur, cum nulla ratio sit, cur ejus habeatur, cujus nomen in recentioribus Editionibus præfert*, (*a*) maximis putant dificultatibus Achillem Galiardi pervolvere.

At vero, cum neque silentium suorum Auctorum Ribadeneira, Nigronis, ac Possevini, Opus hoc omittentium, Achilli Galiardo officere velimus, neque ipsius Libri, quam super adduximus frontem tantis adjectis cumulatisque argumentis, validam conjecturam esse arbitremur, ut Achilles e possessione sua deturbetur, & omnibus Criticorum clamoribus surdas præbeamus aures, quisnam plagiarios illius insignis Operis arguet, quod ab eodemmet Comite

mite

(*a*) Clerc. Ars Crit. Vol. II. Per. 3. Sec. 2. cap. 2. pag. 225.

mite de Porcia omnino rejectum fuisse constat, & quod Scriptores Theatini, exterique pene omnes, *Laurentio* confirmarunt, ea tantumodo usurpata oppugnationis ratione, quæ in hac caussa minimi prorsus facienda, quia tres tantummodo parum accurati Editores, nulla auctoritate suffulti, sic existimasse videbantur?

Secundo loco Johannem Castagnizam clarissimum ex D. Benedicti Cœnobitis virum tamquam principem, & indubium Pugnæ Spiritualis Auctorem Gregorius Argaiz ejusdem incliti ordinis alumnus, in arenam producit: cujus miræ, atque incredibilis incuriæ, verba ex Libro, quem Hispano sermone confectum inscripsit: *Soledad Laureada* (a) quæ, licet per se etiam minus vernaculo Hispano callentibus satis clara sint, Latine tamen exscribere opportunum esse ducimus (b): *Extant in Archivio Monasterii Oniensis Fratris Johannis Castagnizæ*

[a] Tom. VI. Cap. 69. pag. 503.

[b] *En el Archivo de Ona se conservan papeles de F. Juan de Castaniza: pero esto no muestra quien era el hombre interior, come a quel Librito, che hizo caja titulo es* Pugna Spiritualis, *Combate Espiritual: aunque no lo pudio accabar,*

ſtagnizæ Epiſtolæ, quæ quanta pietate eximius ille Vir præpolluerit, non ſatis indicio

accabar, porque murio luego. Dirè lo que ha ſucedido. Luego que murio en nueſtro colegio de S. Vicente de Salamanca ano de mil quinientos, y noventa y nueve traxeron à Ona todos ſus Libros, y manueſcritos de ſu letra, entre ellos vino eſte Librito. Eſtaban entonces en Ona eſtudiando Teologia diferentes Monges Ingleſes para ir à predicar à ſu Patria: bolviendo a Inglaterra paſſaron a Parìs, comunicaronlo con los Monges de S. German, que ſacaron otra copia Latina, y puſieronla en la Libreria Comventual.

Paſſaron à Flandres, y parando en el Colegio, que los Monges tienen en Duay, quedo alli la Copia de eſte libro, que avian ſacado de Ona. Como tenia tanta opinion, hizieronſe copias, y ſe imprimiò lo primero en Lengua Franceſa, deſpues en Italiano; y como no cuydaron de por el Autor, y el Librito no tiene mas de treinta, y ſeis Capitulos muy breves, contentaronſe con dezir, que era compueſto por un Religioſo; y aſſi lo dize la primera impreſſion. que ſe hizo en Barcelona por Juan Simon Mercader de Libros, que ſe aprobò por el Doctor Franciſco Dorguetes el de mil ſeiscientos, y ocho. Comienza el titulo el ano de mil ſeiscientos, y diez: Combate &c.

De Italiano lo hizo traducir en Portuguès D: Franciſco de Melo, y Torres Marguès de Sande, eſtando en Parìs, pero anadido contreinta, y ſiete capitulos por el Vener. Pad. Lorenzo Eſcupoli Clerico Reglar de S. Cayetano,

dicio sunt , sicuti indicio est libellus ille ,
quem

no , que anadio algo à algunos capitulos primeros por ser demasido cortos, y breves . Traduxolo tambien en Francès un Doctor de la Universidad de Parìs ; y lo dedicò à S. Francisco de Sales , y alli le dize , que està anadido de treinta y siete capitulos mas . El ser obra los dichos treinta y seis de nuestro V.P.F. Juan convencese ; lo uno por hallarse entre los Padres de S. Germàn de Parìs , y entre los de nuestros Monges de Duay èscritto en Latin con este titulo Pugna Spiritualis a Johanne Castagniza Monaco Benedictino Hispano , *lo qual notado por los Padres de S. Germàn , que lo hallaron en su Libreria , hizieron primero la diligencia con los de Duay ; y aunque hallaron lo mismo non contentos con esto me escrivieron a qui à Madrid para que yo hiziesse diligencia sobre si estava en Ona , y hallose entre los libros , que suelen tener los Novicios , de que remitieron una copia latina, que remitì à Parìs . De suerte que la honra , que se dà al P. D. Lorenzo Escupoli se debe parte a nuestro Monge Castaniza . Y convencese lo segundo, porque el P. D. Lorenzo no escrivio en latin a quellos veinte , y treinta y nueve capitulos ; sino en Italiano , como los treinta y siete. Hale sucedido a nuestro Castaniza lo que a Juan Gersen , y a F. Garzia de Cisneros Abades de nuestra Religion , que por aver trasladado , y copiado Thomas de Kempis el libro de* Imitatione Christi *de Gersen , y el glorioso S. Ignacio el Libro de los Exercicios Espirituales de Cisneros , que le diò su Confessor Fr. Juan Xanones , y ampliado le mas se los han atribuido muchos , como si fueran sus Auctores enteramente , cosa , que sucede por otros muchos Doctores de la Iglesia .*

quem scripsit, Pugnamque Spiritualem *dixit: licet propero fato functus perficere non potuit. Quæ res mihi quomodo evenerit, definite dicendum est. Postquam extremum diem in nostro D. Vincentii Salmaticensis colegio anno* 1599. *clauserat Frater Johannes, omnes statim Libros, & Idiographos illius, quos inter & hic aderat, Oniam deportarunt. In eo Cœnobio studiorum caussa quidam aderant Angli Monachi, in patriam inde iter facturi, ut sacris concionibus navarent operam Angliam repetentes, Lutetiam Parisiorum adiere, ubi cum Monachis D. Germani de hoc Libro re comunicata latinum exemplar educentes, in Monasterii Bibliotheca reposuerunt. Inde cum in Belgium proficiscerentur, in Anglico Duacensi Collegio aliquantisper constitere; ibique Opus, quod secum ab Onia excriptum detulerant, relictum est. Quoniam vero de hoc Libro præclarissima expectatio longe, lateque pervaserat, fuit sæpius exscriptus, deinde Typis Gallice primum, tum Italice concessus. Cumque Auctoris nomen anteponere negligerent, & Liber sex & triginta tantummodo capita admodum exigua præferret, a quodam Anonymo Religioso Viro exaratum dicere laudabilius esse duxerunt. Sic enim*

in

in prima Editione, quæ peracta fuit Barcinonæ per Jo: Simeonem Bibliopolam, quam Franciscus Doctor Droguetes anno 1608. *approbavit, habetur hisce verbis*: En l' año 1610. Combate, o Lucha Espiritual del alma con sus afectos desordenados, compuesto en lengua Italiana por un siervo de Dios, y traducido en la Castellana por Luis de Vera Secretario del excelentissimo Señor D. Hector Piñatelo, Duque de Monteleon...... *Ex Italico inde septem supra triginta capitibus idem Opus constans in Lusitanum translatum fuit, jussu D. Francisci de Melo, & Torres Sandiensis Marchionis cum ipse Parisiis moram traheret, adauctusque apparuit opera Ven. Laurentii Scupoli Cl. Regularis S. Cajetani, qui quædam capitula in initio posita, breviuscula aliquantisper, in longiorem sermonem protulerat. Gallice etiam vertit quidam Parisiensis Doctor Laureatus, qui D. Salesio dicavit, asseruitque septem supra triginta capita posterius adiecta fuisse. Primum itaque exemplar triginta & sex capita exhibens Castagnizæ tribuendum esse, facile evincitur. Primo, quia apud Patres S. Germani Parisiis, & Duaci in Monanasterio nostro Latine hac fronte scriptum inve-*

invenitur: Pugna Spiritualis a Johanne Castagniza Monacho Hispano. *Quod Opus Parisienses Monachi in sua Bibliotheca inveniri cum animadvertissent, rem cum Duacensibus diligentissime contulere, a quibus de eadem re certiores facti, neque satis sibi hanc diligentiam esse ducentes, litteras ad me, Matriti commorantem, dedere, ut si forte exemplar hoc Oniæ inveniretur, diligentissime investigarem. Quod revera inter libros, quos assolent habere Novitii, cum esset, apographo latine educto, Parisios misi. Ex quibus facile intelligere est, honorem, qui* Laurentio *Scupolo defertur, plerumque Monacho nostro Castagnizæ deberi. Ulterius novum argumentum eruitur, ex eo quia* Laurentius *non latine Editionem priorum* XXIX. *capitum, sed Italice, non secus ac alteram septem & triginta Capita proferentem, emisit. Quapropter nostro Castagnizæ quod & Johannis Gersen, & Garziæ de Cisneros, Religionis nostræ Abbatibus evenerat, contigit, quorum alterius cum Thomas a Kempis exscripsisset, vertissetque librum de Imitatione Christi, cujus Gersen Auctor erat, & gloriosus Lojola Librum de spiritualibus exercitiis, quem a F. Johanne Xanones Confessario suo receperat,*

cujus

cujus Auctor erat Cisneros, *pariter exscripsisset*, *& quædam adjecisset*, *amborum Asseclæ tamquam rem omnino tum Kempis*, *tum Ignatii propriam depredicarunt*; *quod & aliis Ecclesiæ Doctoribus evenisse compertum est*. Postremo Argaiz in Opere Hispano, quod inscripsit, *La Perla de Catalauna*, hæc confirmavit (*a*): *Es obra de la pluma de Castaniza el libro intitulado* Pugna Spiritualis, *quanto a los primeros treinta y cinco capitulos; los de mas anadio el P. Lorenzo Escupoli....*

Hæc Argaiz fundamenta sunt, quem si quis vetus præceptum Nazianzeni prædocuisset: *Sagenam considera*, *ne oculis tuis decipiaris*, diligentius ad lancem positis rebus, haud equidem ipsum oculi, & verba sua fefellissent, etiam in varia, quam exhibet, tam exigui Libri capitum enumeratione. Scribit enim Pugnam Spiritualem, apud Castagnizam inventam, latine compactam fuisse. Esto: licet hoc falsum omnino videatur, si illorum Benedictinorum auctoritatem sequamur, qui, cum Duaci anno 1615. nomine Castagnizæ Pugnam Spiritualem emitterent, hispanice

(*a*) Trat. 4. §. 105.

ce primo ſcriptam dixere, quod idem Bertier Librarius Pariſienſis, & Nicolaus Antonio Juris utriuſque Doctor Hiſpanus cenſuere. Sit nihilo minus fides Gregorio Argaiz latino ſermone inter autographa Caſtagnizæ Pugnam inventam fuiſſe. Non tamen erat illi pronunciandum ſolum poſt mortem Caſtagnizæ, qui anno 1599. ad ſupera evolavit, primum Apographum a Monachis Anglis ex Onia fuiſſe deductum. Quippe cum non in Hiſpania, neque in Belgio, neque Pariſiis, ſed Venetiis; non Hiſpanice, aut Latine, nec Gallice, ut putavit, ſed Italice decem ante Caſtagnizæ obitum annis, ideſt ab anno 1589. Pugna Spiritualis impreſſa fuiſſet; hac ratione tota illius cauſſa corruit. Ignorabat enim bonus Vir eo anno Venetiis editam; cumque arbitraretur nonniſi poſt longum tempus ex Italicis Typis, aliquibus adauctam capitibus, emanaſſe, hoc ſibi maximi ponderis argumentum fore putavit, ut aſſereret, ideo Autographum Caſtagnizæ primum eſſe dicendum, quia ſex, ac triginta tantum capitibus diſtribueretur. Qua quidem in re, quam miſere hallucinatus eſt! Prodiit nempe, ut

ſupra

ſupra innuimus, prima Editio Typis Jolitanis, & xxiv. tantum capita proferebat: cumque magni ab omnibus fieret, eodem anno, ijſdemque Typis recuſa fuit, præmonente Typographo, ab Auctore novem capita adjecta fuiſſe, ita ut tribus, & triginta ſex capitibus conſtaret. Hæc nonne neceſſe fuerat, ut ad Argaiz notitiam perveniſſent, ne ejus auctoritas tantis deturpata mendis irrideretur? Profecto, ſi hæc noviſſet, neque Gallica lingua primum editum librum (*a*), neque juxta Caſtagnizæ autographum publicæ datum luci dixiſſet.

Verum enimvero quibus rationibus cauſſam ſuam communierit, videamus in hoc, ſicut in cæteris, hominis induſtriam, Monachos ad S. Germanum Pariſiis Apographum habere conſiderabat, quod cum ſimile omnino Autographo Caſtagnizæ, quod Oniæ imperfectum ſupererat, inveniretur, hoc ſibi argumenti eſſe putabat, ut Caſtagniza Auctor indubius crederetur. At in Onienſis Autographi fronte quid inſcribebatur? *Pugna*, inquit, *Spiritualis*. A quo? Nomen

(*a*) Como tenia tanta opinion hizieronſe copas, y ſe imprimiò lo primero en lengua Francesa, deſpues en Italiano &c.

Nomen Caſtagnizæ, licet in Apographis tum Pariſiis, tum Duaci appareret, in Autographo Onienſi, quod Caſtagniza, morte (*a*) præreptus, perficere non potuit, procul dubio deſiderabatur. Quod ergo in Onienſi deſideratur ex Autographis noſtris, ad unguem completis Auctoris nomine ex Neapolitano D. Pauli Tabulario munitis; multifariam, multiſque modis jam editis, producimus, ut, cæteris nugiloqui Oppoſitoris ommiſſis erroribus, ad alia contendamus. Pugna Spiritualis *ab Italo Clerico Regulari* ordinata in editione Bergomenſi anni 1594. (*b*). Idem ex verſione latina, quam Jodocus Lorichio *ab Italo-Germanico* exemplari perfecit anno 1591., eo nempe tempore, quo Caſtagniza Oniæ pietatis fama florebat, apertiſſime enuntiatur. Idem in cæteris Gallis, Latina, Hiſpanis Editio-

[*a*] Obiit anno 1599. Anton de Yepes Cron. S. Benedict. Tom. V. cent. V. anno 1599. & D. Benedict. 531. cap. 4. fol. 337. & Tom. VII. centur. VII. an. 1143. & D. Bened. 663. cap. 5. pag. 346. Ed. Valiſoler. 1631.

(*b*) Et Bonon. anno 1701. in qua hæc habentur verba: *già ſi ſa eſſer opera della Ven. Congreg. de' Cherici Regol. aſſai chiari, e noti al mondo*, meridiana luce clarius enuntiatur.

ditionibus, quæ *Italicum* primarium exemplar recensent, confirmatur. Idem denique ab Auctore ipso *Italo* in Neapolitanis anni 1604.& 1610. apertissimis (*a*) documentis refertis, atque munitis, quæ profecto numquam ad Argaiz notitiam pervenere, tam perspicue declaratur, ut nulla habeatur fides humana, si & hæc negetur. Quod præcipue considerantibus Nuncupatoriam Jesu Christo Servatori in dedicatione sui operis ab eodem *Scupoli* Theatinorum nomine expressam, patet manifestissime, nisi sanctissimum Virum mendacem, atque blasphemum coram Deo Optimo Maximo comprobare velint, ne tota Argaiz machina corruat. Eodemque modo in alterius productione Libri, qui, *la Perla de Catalauna*, inscribitur, sua spe frustratur, quia in eo, præter absolutam ac omnibus expoliatam rationibus assertionem, nihil ultra præstare videtur, nisi errores, de quibus in Chronologiæ potissimum calculo tam clare a doctissimo Grignon (*b*) evincitur, ut Menchenio.

venia

(*a*) Neapoli 1604. de quibus Edd. vid. ad calcem dissertationis.

(*b*) In lib. supracit. §. V. num. 6. 7. pag. 31.

venia donanda sit, si Gregorium Arga. iz inter falsarios enumerarit (*a*).

Quapropter non Castagnizæ, sed *Laurentio Scupoli*, quod de suis Abbatibus Gersen, & Cisneros (videat ipse quibus documentis) dixit, potiori jure tribuendum est. Si enim asserit, Sanctissimum Virum Thomam a Kempis librum de Imitatione Christi, & cælestem hominem Ignatium de Lojola Exercitia Spiritualia exscripsisse tantum, non de proprio penso eruisse, qua uberiore ratione nos Castagnizam, ex jam evulgatis Libri nostri editionibus exscripsisse defendemus? Illius auctoritas, ac vindiciæ incertis, & in dubium revocatis testibus, committitur: nos autem & autographa, & editiones, & tempora, & voces, hominumque scripta luculentissime producimus. Ille Librum de Imitatione Christi per Abbatem suum Gersen elucubratum contendit; sed gravissimos Scriptores, & pene totius terrarum orbis, consensum infensum habet; at nos Pugnam Spiritualem a *Laurentio Scupoli* confectam si dicimus, non modo facile confutandos

C ad.

(*a*) De Charlataneria Eruditorum Declamat II.

adverſarios experimur, ſed immo oppugnatores hujuſmodi ſunt, qui ſuis ipſis oppugnationibus oppugnentur. Ille ab Abbate ſuo de Ciſneros D. Ignatium exercitiorum Librum exſcripſiſſe, quibuſdam, ut putamus, antiquioribus mſſ. & editionibus defendit; at pro Ignatio Breviarii Romani auctoritas producitur, in quo habetur (a): *Homo litterarum plane rudis compoſuit exercitiorum Librum*; ſed contra nos quænam auctoritates hujuſmodi eductæ ſunt? Cum itaque Argaiz uſurpatio tantis, & præclariſſimis teſtibus illuceſcat, veremur, ne in eum, quod Baronius in Tritemium, aliena ſuo Ordini adſciſcentem, jecit, poſſit contorqueri: *Cum enim*, ajebat immenſæ eruditionis vir (b), *innumerorum pene ſanctiſſimorum, atque doctorum Patrum Patriarcha Benedictus fuerit fœcundiſſimus propagator, perperam, mea ſententia faciunt, qui alienos partus, quos non genuit, ei ſupponunt, & nimio ejuſdem Ordinis, ſub quo profitentur, amore, nonnullos fama illuſtres viros, aut cujuſdam inſignis operis Auctorem ſuum fuiſſe*

(a) Prid. Kal. Auguſt. Lect. IV.
(b) *Baronius* ad anum Chriſti ID. num. 77. & 78.

fuisse imprudenter, & inconsulte nimis affirmant. Etenim non fœcundis, sed sterilibus supponi aliena soboles consuevit. Sed in re tam perspicua non est, cur diutius immoremur. Argaiz *Laurentium Scupoli* in partem tantummodo Operis advocans, PseudoAuctorem suum tantis in erroribus, tum in iis, quæ ad Autographum, tum in iis, quæ ad rationem temporum, personarumque spectant, implicavit; ut errorum illius difficilius sit exitum, quam principium invenire. Quapropter ejus Auctoritas ea prorsus ratione eliminatur, qua Cardinalis Joseph Saënz de Aguirre Benedictinorum sydus præclarissimum, nimia simplicitate deceptum sæpius deflevit, & Hiacynthus Segura Sacri Prædicatorum Ordinis Celebris Criticæ Magister, *deceptum*, non *deceptorem* dixit; adeo ut *Argaizina simplicitas* inter Hispanos τῆς παροιμιαζομένης adagium celebre pervagetur (*a*).

Quibus omnibus persolutis non esset nobis in hac disquisitione consistendum, si alterum ejusdem Ordinis alumnum

 in

(*a*) De quibus vid. Eruditiss. Bibliograph. Crit. Fr. Michael a S. Joseph T. I. lit. A. Argaiz, & Boll. Act. SS. Maii Tom. 7. die 30.

in hunc errorem prolapsum nos non doleret. Hic nempe fama virtutum, & rerum gestarum laude notissimus Johannes Mabillon est, quem in disponenda pro Monasticis studiis Librorum serie hallucinatio ista fugit *(a)*. *Le Combat Spirituel par Castagniza de l' Edicion du P. Gerberon.* 12. Virum pietate insignem, virtute conspicuum, & doctrina illustrem, immoderato Instituti sui amore raptum, mendacio magis, quam veritati indulsisse, alienissimum a nobis est suspicari. *Ipsius enim ætas, & vita*, utamur pro tanto viro Nazianzeni verbis, *omnem superat accusationem (b)*. Neque vero de imprudentia, quia Argaiz potius quam nostram opinatus sit sententiam, in animo est eum redarguere. Intelligimus enim, *non omnes, qui in aliqua re falluntur, eum ob errorem imprudentes esse, dicendos (c)*. At, cum neque negare quod est, neque quod esse non potest, reprehendere debeamus, eum actum errore

(a) In Catal. Libr. cap. xv. num. 150. pag. 454. Edit. Ven.

(b) Ep. CLXIV. ad *Amphilochium* ἰσχυρότερος πάσης της κατηγορίας ὁ χρόνος τοῦ ἀνδρος, καὶ ὁ βίος.

[c] *Alex. Aphrodis* lib. IV. Quæst. οὐ πάντες οἱ ψευδόμενοι τί τῷ ἠπατῆσθαι ἄφρονες ἂν εἶεν.

rore dicemus, quo infirma, & circumscripta hominum mens sæpe impellitur. Non animadvertit exscribens. Audierat Pugnam Spiritualem Castagnizæ fuisse tributam. Ea in suo præclaro volumine, tamquam pretiosum, & perutile opus, erat recensenda: ideoque minus instructus Castagnizam Auctorem dixit. Nullas tamen de hac re vindicias instituit, non defendit; sed tantummodo annuit, atque ita annuit, ut assertio sua uno verbo prolata, uno quoque verbo refutaretur. Quem tamen in errorem, si sciens etiam, volensque ruisset, quid mirum Mabillon tantis implicatum curis, studiisque, & inter quosdam eorum, qui *sententiam, quam adamaverant, pugnacissime defendebant*, constitutum, & circumseptum, veritatem penitus non agnovisse? *Non enim*, ut D. Augustinus ait (*a*), *omnia, quæ ab omnibus scribuntur, in omnium manibus veniunt*. Ideoque nec tanti Viri hacce in re minus instructi auctoritas nobis officiet, neque ab eximio, proboque Auctore derogatum caussæ nostræ fuisse

C 3 *parvis*,

(*a*) August. de Trinit. L. I. cap. III. Tom. III. pag. 87. in Ed. Lugd. 1596.

....parvis, ubi plurima fulgent,
Offendar maculis, quas sive incuria fudit,
Sive humana parum cavit natura?

Hoc eodem breviori, lenique ſtylo agendum (*a*) eſt cum Nicolao Antonio J. C. Hiſpalenſi, qui Bibliothecam ſuæ Gentis congerens, de Caſtagniza recenſuit (*b*): *Ejuſdem extat* Combate Eſpirituel, o Tiattado de la Peifecion Criſtiana, *quod opus vernacule apud nos editum, latine tranſtulit Jodocbus Loricbius*. Bono enim viro plurimos ſuper Argaiz errores imponenti quis eſt, qui veniam donare neget, ipſumque criminatione opprimat? Argaiz enim idemmet, turpiſſimæ uſurpationis inventor & Auctor, Autographum Caſtagnizæ Latine ſcriptum manibus habuiſſe teſtatus eſt; & Scottus Jeſuita Hiſpanorum Scriptorum Catalogum, dum ante Nicolaum Antonio contexeret, quemque Nicolaus Antonio inde ſecutus eſt, hujuſmodi Auctorem recenſere minime exiſtimavit, quod neque in Bibli. Hiſpana Francof. 1608. invenitur. Quibus ſi ad-

(*a*) Horat. de Ort. Poet. ℣. 351.
(*b*) Bibliot. Hiſpan. verb. Johan. Caſtagn. apud Grignon opere ſuprac. §. VII. n. 1. & 2. pag. 48. & ſeq.

addatur, quod certiſſimum eſt, Jodochum Lorichio non ex Hiſpana, quæ nondum apparuerat, ſed ex Italicogermanica Editione latinam ſuam verſionem confeciſſe, id de Nicolao Antonio, quod de Auriga Alciatus, videmur poſſe concludere *(a)*:

Haud facile huic credas, ratio quem nulla gubernat,
Et temere proprio ducitur arbitrio.

Quod eo magis evincitur, quia Nicolaus Antonio ſe non alio fonte, quam a Belgica Editione operis, cui titulus: *Battalla eſpiritual*, notitiam hanc accepiſſe fatetur *(b)*.

At vero Damianus Gonzales del Cueto ſummopere arguendus eſſet, quem acriori, quam par erat, ſtylo, hæc ſcribere non puduit *(c)*: *Quien ſea el Auctor de eſte obre aun oy eſtà en opiniones. Graviſſimas Religiones pelean con noble codicia ſobre la poſſeſſion de eſte Teſoro. Los Theatinos, o Clerigos Reglares de*

C 4   *San*

(a) Alciatus Emblem LV.

(b) Hoc opus hic ſiſtimus, *Battalla Eſpiritual*, quia in Belgio editam novimus Pugnam Spiritualem, ſive hoc titulo librum ex Johannis Caſtagnizæ Benedict. opere.

(c) In Prol. verſ. Hiſpan. Viennæ in Auſtria an. 1722.

San Cayetan pretenden con ambiciosa porfia, que fue compuesto por el P. D. Lorenzo Escupoli de su mismo Orden . . . El P. Teofilo Raynaudo celebre escritor de la Compagnia de Jesus lo attribuese al P. Gallardo Jesuita Espanol (a).... Los Padres de S. Benito pròcuran con grande esfuerzo persuadir que lo escriviò D. Juan de Castaniza Espanol hijo de esta esclarecida Religion. Yo aparto mi juicio del examen de esta controversia por no empenarme en una odiosa y prolixa discussion, Hactenus Damianus in Præfatione versionis suæ (b), ad quam confutandam, ne ambitiosæ perfidiæ nota nos quoque ab hoc Hispano decoremur, nihil est, cur tempus, & operam perdamus: non enim *aculei*, ut docet Orator, *orationis nostræ contra infirmum hostem sunt excutiendi, neque illi jurgiis impetendi, qui pro imbecillitate sua possunt facillime superari*. Postremo Yepes, Caramuel, & Morcri, qui in hanc opinionem consensere, perpaucis absolvendi sunt. Primus, quia si

[a] *Paduan* rectius dixisset.

(b) De cujus erroribus immensis vid. Grignon Opere supracitato §. III. num. 3. pag. 17. & per totum.

si forte dixit, nullam tamen in præclaro sui ordinis Chronico, in quo quidem diligentissime de Castagnizæ scriptis disseruit, (a) de hac controversia memoriam instituit. Alter, quia parce satis, & sine critico examine Pugnam Spiritualem Johanni Castagnizæ tribuit, & in immensa rerum farragine, quas in omni scientiarum genere acutissime pertractavit, in hoc errasse nullam admirationem moderatis Viris creat, eoque magis illi tribuemus veniam, quia luculentius Johannes a S. Francisco sui ejusdem ordinis Moderator, *Italis Theatinis Patribus*, Pugnam Spiritualem vindicarat. Moreri denique ex Antonio de Yepes, & ex Nicolao Antonio minus attente suscepit, & perperam etiam, atque negligenter exscripsit (b), illorum fortassis subiens notam, qui *absque delectu* (c) *quæcumque ab aliis scripta ad*

 eorum

(a) *An: Yepes* Chron. S. Benedict. Tom. V. Cent. V. & Tom. VII. Cen. VII. loc. supracit.

(b) *An. Yepes* Tom. II. Ed Paris: vel Tom. III. novissima in Edit. Ven. male autem exscripsit quia mortuum Castagniza an. 1598. dixit, dum Auctores, quos protulit, an. 1599. mortuum affirmarunt.

(c) *Baronius* in Præfat. Annal: ad Lectorem.

eorum manus pervenerint, vel levi auditu perceperint, conscripserunt, & absque alia altiori indagine sæpe fabellas, & vulgi rumores, non sine magno, cæterarum rerum solida firmitate subsistentium, præjudicio intexuerunt. Sed in tanta rerum mole, in qua multa tumultuarie, & ut Græci ajunt, αὐτοσχεδίως sint, necesse est, quid erraſſe miramur? Damnandus tantummodo, quod se Librario Parisiensis Bertier crediderit, qui, ut adsolent hujusmodi, magnum sibi decus, si novam sententiam tamquam ex tripode produceret, conciliaturum existimans, cum Argaiz errores lubentiſſime subiiſſet, hæc insuper magni ponderis verba adiicere non veritus est: *Le Combat Spirituel a ètè composé par Castagniza, traduit en Latin sur l' original Espagnol de l' Auteur..... L' Auteur en fin de ce Livre n'est, ny Italien, ny Theatin, mais Espagnol de l' ordre de S. Benoist, puisque dans le chapitre 26, ou il propose les Saints, que l' on doit invoquer dans la priere. Il met particulierement ceux de son ordre, comme Saint Anselme, Saint Placide, Saint Maur, & Sainte Scholastique, & ceux pour les quels on a une Veneration particuliere en Espa-*

Espane. Outreque, quand il parle de Saint Benoist il dit tous jours nostre Pere Saint Benoist (a). Hæc Bertier, sutor ultra crepidam, qui admissis etiam Duacensi 1612. & Parisiensi 1644. Editoribus a *Laurentio Scupoli*, omnium lingua, scriptisque celebrato, gloriam avertere, suoque ipsum Opere, vigiliis & orationibus compacto, expoliare præsumit. Qua in re neminem latet quantos in errores Psittacus iste prolabatur. Autographum Castagnizæ neque Hispano sermone conscriptum, neque perfectum, neque publice constitutum, dum eidem extremum obire contigit diem, jam satis superque demonstravimus. In posteriori Editione aliqua immutata? Nihil ad rem. Jampridem enim sæpius sine additionibus istis, & præcipue nullo Sanctorum Benedictinorum nomine conspersa, cum Venetiis, tum Bergomi, Florentiæ, Romæ, in Germania etiam, in Belgio, ac Parisiis Spiritualis Pugna apparuerat. Hunc in Editionum, quæ ubique locorum visebantur, Scopulum omnium adversariorum ictus allidantur,

C 6 necesse

(a) In Præf. Edit. Paris. 1675. apud du Ber Article IV.

necesse est. Ante Castagnizæ, qui neque opus perfecerat, obitum viginti & ultro præcipuis Italiæ Urbibus (a) Pugnæ Spiritualis Editiones Piorum in manibus tenebantur. Quo ergo fundamento Argaiz, qua fronte ejus Assecla Bertier Castagnizam tanti Operis Auctorem ausi sunt conclamare? Eoque magis, quia tum Argaiz (b), tum Bertier (c), necnon Moreri in hanc sententiam convenere quod Castagniza nullum aliud opus in lucem edidit præter Vitam divi Romualdi, ac Blosii Venerabilis Gesta. (d) Quæ cum ita sint, nemo quidem, quamvis in re critica jejunus, erit, qui reprobatæ satis sententiæ fautores inter eos Amanuenses non enumeret, de quibus conquerebatur Hieronymus, *qui, non quod inveniunt, excribunt, sed quod intelligunt, & dum alienos errores emendare nituntur, ostendunt suos* (e). Sed quoniam non tam eos, præcipue Bertierium, decet mendacium, quorum σοφία, ut Hesiodi habeamus verba

(a) 1599. a cl. Volpi in Comin. Edit.
(b) In compen. Vitæ V. Castagniza.
(c) Loc. supracit.
(d) In Diction. V. Castagniza.
(e) Epist. XXVIII. ad Lucinium.num LXXI

verba, κέρδει δέδεται, (a) quam noſtram dignitatem, plura de iis agitare dedeceat, finem huic Caſtagnizæ confutationi ponamus, cujus piiſſimi, gloriaque conſpicui viri, haud equidem dignitas inter mendacia pervolvenda erat, neque doctrinæ laus perilluſtris alienis rebus ornanda eſſe videbatur. Opponemus tantùm ad noſtræ confutationis complementum contra hoſtiles Benedictini Argaiz conatus, tamquam murum & antemurale, alterius Benedictini numeris omnibus abſoluti Viri auctoritatem, nempe Adeodati Nierſeſovichtz in Jeroslaviæ urbe Pœnitentiarii conſpicui, nec non Sanctimonialium ſui Ordinis a confeſſionibus, qui Pugnam Spiritualem cum Illyricam ex Italica feciſſet, eam Opus, non Caſſinenſium, ſed Clericorum Regularium, non Caſtagnizæ, ſed *Scupoli*, dixit in Præfatione, quam verſioni ſuæ præpoſuit, cujus hæc verba ſunt Italice reddita a Joſepho Radenaſchi Cl. Reg. Mediolanenſi Apoſtolico ad Sarmathas Miſſionario, & Theatinorum Collegii de Propaganda in Leopo-

(a) *Heſiodus* in Operibus h. e. *Sapientia cedit lucro*.

poli Urbe Præfecto (a): *Di questa Opera fu Auctore il P. D. Lorenzo Scupoli, uomo di grande santità e dottrina, Religioso di S. Gaetano, oppure de' Cherici Regolari; la quale illustre Religione da S. Gaetano fondata, osserva la forma dell' Apostolica Vita ..... Ma perche l' Autore di questo Libro per la grande umiltà, di cui fu seguace, non vi ha espresso il suo nome, ha dato motivo a molti di appropriarsela. Dal che io arguisco la eccellenza di questo Libro, imperciocchè molti hanno avuta grande sollecitudine di farlo credere suo, stimando di acquistarsi per esso grande stima appresso gli Uomini pii ed eruditi*. Qua apertissima declaratione Castagnizæ disceptationi finis esto.

Tandem emergit Achilles Galiardi Societatis Jesu, inclytæ matris filius eximius, qui in Teophili Raynaudi, clari ejusdem Societatis Viri, Operibus, Pugnæ Spiritualis Auctor certissimus hisce verbis declaratur: *Ejusdem Achillis est Opella, cui titulus*, Certamen Spirituale,

[a) Jeroslaviæ 1683. 4. in claustro Jeroslaviensi, versio & editio Antistitæ, & Sanctimonialibus ord. D. Benedicti dicata, *extat Romæ in Bibliot. S. Andreæ de Valle*.

rituale, *quam Gallice aliquoties versam, varii supposuere variis. Unus quidem piæ Virgini adscripsit, alii aliis. Sed vere esse foetum genuinum P. Achillis confirmat D. Benedictus de Ruiz ad S. Nicetium non ita pridem Ædituus ex testimonio cujusdam P. Theatini, a quo asserebat monstratum sibi esse autographum ipsius Achillis manu exaratum, & ejus adscriptione munitum in attexta Opellæ isti Epistola ad quemdam Clericum Regularem, qui ab eo poposcerat nonnullam in via spiritus instructionem*. Hæc verba, quæ, Theophilo Raynaudo jam fato functo, (*a*) ejus a Lugdunensibus, ut putamus, editoribus adjecta sunt, totius oppugnationis fundamentum constituunt, & hoc Æditimo præclaro teste, facile alii, ut fortassis cujusdam auribus obsecundarent, in errorem trahi passi sunt; adeo ut in Editionibus (*b*) Cunei, Lucæ, Parmæ, Francofurti, &, quod maxime dolendum, mirandumque est in

Ephe-

(*a*) Obiit anno 1653. quod constat ex pluribus scriptoribus Soc. tum ex Nuncupatoria secundæ suorum Operum Editionis Lugd. 1665.

(*b*) Cunei anno 1668. Lucæ an. 1690. Parmæ an. 1700. Francof. an. 1713. de quib. int-

Ephemeride Trevoultii compacta (*a*), nomine Achillis Galiardi emissa sit, in re tam ancipiti non animadvertentes cum Demosthene (*b*). *Supra omnia facile esse seipsum decipere. Nam quod quisque desiderat, id etiam animo suo proponit, ac persuadet. Res autem ipsa frequenter non ita est.* Et reapse quo acti sint errore, per ipsorum Librorum collationem primo consideremus.

In Libris enim, in quibus anceps de Auctore fama est, illud imprimis considerari solet, utrum stylus Operis controversi cum eodem, quo Auctor contro-

[*a*] *Demosthenes* Olymp. γ'. ῥᾷστον ἐστιν ἁπάντων ἑαυτόν ἐξαπατᾷν. ὃ γάρ βούλεται τοῦθ' ἕκαστον, καὶ οἴεται. Τὰ δὲ πράγματα πολλάκις οὐχ' οὕτω πέφυκε.

[*b*) Johannes Clerc. Art. Crit. Vol. II. Par. III. lect. II. Cap. VI. pag. 373. *Si stylus sit diversus a noto Scriptoris stylo, ejus non est, quamvis nomen ejus præferat. Fr. Michael a S. Joseph* in nuperrime edita Bibl. Critica Matriti 1742. cum pluribus in locis hoc argumento utatur, tum Tom. II. pag. 304. de famosa Epistola controversa B. Salesii. *Ex cujus Epistolæ stylo facile Salesium agnoscit; ita ut de vero Auctore non amplius ambigere audeat. Vid. insuper* Baron Annal. an. Christi 397. num. XXXVI. an. Christi 407. num. XI. *Just. Lyps.* Elect. Lib. I. cap. I. *Aul. Gel.* Noct. Act. Lib. III. cap. 3. &c.

troverſus uti ſolitus eſt, ſtylo æquiparetur. Quod cum a naturali lumine, a doctorum hominum, atque eruditiſſimorum Criticorum certiſſima poſitione, & ab uſu, ac conſuetudine doceamur, Raynaudus idemmet, ut eadem, qua vulnerati ſumus, ſubſanemur haſta, frequentiſſime hac ratione incedit, & aliquando *Sermones*, ait *(a)*, *ad Fratres in Eremo, qui nomine Beati Auguſtini circumferuntur, ſuppoſititii ſunt ... quia ſtylus diſſidet a ſtylo Auguſtini*. *Et infra (b)* : *S. Ambroſio ſuppoſitam eſſe poſteriorem pro Davide Apologiam contendit Nicolaus Faber, & idem Bellarminus, qui argumentum deducit a ſtyli diverſitate*. Et inferius (c) *Liber de dignitate Sacerdotali Anſelmum potius redolet, quam Ambroſium*. Hoc vero paſſim argumento utitur Raynaudus. Quod jure ac merito factum putamus, ut Auctor ipſe, qui aliena ſibi adſcivit, vel cui forte tributa ſunt, ſuo ipſe teſtimonio convincatur. Quantum itaque Pugna Spiritualis diſtet ab ea, qua utitur Achilles

(a) Erot. de bonis, & malis Libris Ed. 1653. Erot. X. num. 63.
[b) Erot. XVI. num. 186.
(c) Erot. XVI. num. 188.

chilles Galiardi ratione dicendi consideremus.

Ὅσσον παρθένικη προφέρει τριγάμοιο γυναικός (a). Quod, ut quisque facile cognoscat, Achillis Opusculum, cui Titulus *Compendio della perfezione Cristiana*, cum hac, de qua controversia est, Pugna Spirituali, conferamus. Num idem planum dicendi genus; num sententiæ, num phrases, num verbum aliquod respondet verbo? Alter enim ad virtutem per invium, & asperum iter, alter per jucundam planitiem blande, suaviterque contendunt. Sed ne nostra ætas, & auctoritas, minus quidem valida, irrideatur, maximus ille vitæ Spiritualis magister, Franciscus Salesius, judex, credo, satis idoneus, visendus est, qui de horumce utilitate Librorum cum pronunciaret, ita scripsit: (b) *Vous pourez lire utilement les Livres de la mere Therese, & de Sainte Catherine de Sienne, la Methode de servir Dieu, l' Abregè de la Perfection Chre-*

[a] Theocritus Idilio 12. dicto Αἴτης. quasi sic dicta: *Ter nuptæ quantum præstat pulcherrima Virgo*.

(b) Epistola XXXIV. *a une Dame* Lib. II. Tom. I. pag. 415. Edit. Paris 1670.

Chretienne .... La Methode , & la perfection sont des liures , fort obscurs , & qui cheminent par le cime des Montagnes ; il ne s' y faut gueres amuser . Lisez , & relisez le Combat Spirituel : ce doit etre votre tres cher . Il est clair , & tout pratiquable . Quod si a tanto Judice de Pugna Spirituali , e de Compendio Perfectionis prolatæ sententiæ veritas non clarescerer , vel eorum sequeremur opinionem , qui pugnaciter negant Achillem Galiardi illius Compendii Auctorem fuisse : sive quia cum illis , qui incerto quidem documento , ex uno opusculo de hominis stylo decerni non posse existimant , sentiremus : alterum ejusdem Achillis opus , quod emanavit hac fronte : *L' amore infinito mostrato da nostro Signore Gesù Cristo nel tempo della sua Passione . Considerazione del P. Achille Gagliardi della Compagnia di Gesù . In Venezia* 1681. *per Giangiacomo Hertz* , ad trutinam revocabimus , & cum Pugna Spirituali conferamus , quisnam est , quem maxima inter utrumque diversitas fugiat ? Quis illud cum vel minus attente perlegerit , extemplo non affirmet , *tantum* Opusculi illius stylum , & documenta Pugnæ Spiritualis documentis , & stylo concedere. *Lenta*

Lenta salix quantum pallenti cedit Olivæ,
Puniceis humilis quantum Saliunca Rosetis. (*a*)

Quinimmo facile in illorum sententiam descendere possemus, qui Galiardi suppostitium, spuriumque fœtum esse confirmant: qua in re, non solum veritati inservire, sed etiam apud doctissimos, & ab alienarum rerum usurpatione remotissimos Galiardi Socios non parum benemereri arbitraremur, cum *& nihil veritate pretiosius habendum esse* (*b*) facile ducant, & nugas, quibus Compendiolum illud obvolvitur a Clarissimo Galiardo suo abesse intelligant; eo vel maxime, quod nec Possevinus, nec Ribadeneira, neque Scottus, neque Alegambe, neque Sottuellus, neque Bartoli, neque Raynaudus, neque Toppi, nec Placius, neque Papadopoli, nec Tomasini, neque Moreri (*c*), neque Editores Perfectionis Christianæ Roboreti (*d*), quorum

[*a*) *Virg.* Ecl. V. Vers. 16. 17.

[*b*) Vide *Epictet.* μηδὲν τῆς ἀληθείας τιμιώτερον ἔχω. Apud Maximum Monach. & Antonium λογ. με.

(*c*] Ed. Parisiis 1727.

(*d*] Roboreti per Petrum Antonium Berni an. 1739.

quorum valde interesse videbatur, omnibus Achillis Operibus recensitis, hunc Libellum commemorent, penitus eruditi homines rejecisse videntur. Attamen Opus illud Galiardo liberali animo concedere non recusabimus, dummodo, quod lippis, atque tonsoribus patet, nemo inficietur, Opusculi illius stylum a Pugnæ Spiritualis stylo *quantum Hyspanis dissidet Eridanus*, dissidere. Neque vero hujusmodi discrimen est, quod cuique Catechismum Galiardi (a) consideranti facile non innotescat. Qui laudatissimi viri pius Liber, cum, Sanctissimo Præsule Carolo Borromeo, ut ajunt, procurante, ad amplissimi populi documentum prodiisset; cumque & Auctor maxima illum cura, & diligentia elimatum descripsisset, & populi admirabili sollicitudine expectatum avidissime suscepissent, exiguo temporis intervallo ita mortalium omnium assensu, statutum est, ut (eamdem licet cum Pugna Spirituali cælestem doctrinam, evangelicosque fontes hausisset) neque stylo, neque methodo, neque doctrinæ facilitate, neque ulla earum rerum,

(a) Mediolani per Michaelem Tini 1584. 4

rerum, quibus ſuper innumeram Librorum copiam liber aliquis evehi ſolet, Catechiſmus Achillis Galiardi cum *Laurentii Scupoli* Pugna Spirituali conferri poſſe videretur. Quæ profecto ſi conſideraſſent qui primi omnium hanc fabellam obtrudere ſtuduerunt, Horatius Boyſſet, & Georgius Romey Lugdunenſes Librarii, qui in ſecunda Theophili Operum Editione, duodecim elapſis annis (*a*), patrata, figmentum iſtud inſeruere, cæterique Typographi (Typographi enim plerumque fuere), qui ea uſi ſunt, non ita facile æquori ſe crediniſſent. Nam ſi enucleatius rationem expendamus, qua in clariſſimum *Scupoli*, eximium Virum Achillem Galiardi æmulum, & competitorem adduxerint, profecto intelligemus adamuſſim in eos Librarios Bellarmini verba poſſe jactari (*b*), *Qui cum ſapientiſſimi omnium hominum videri velint, ea tamen interdum proferunt in medium, quæ ſomnia, atque deliramenta eſſe pueri quoque, atque anus etiam decrepitæ intelligerent.*

Quiſnam

(*a*] *Bellarmin.* in præf. ad controverſ.

[*b*] Prima Raynaudi Erotematum Editio anno 1653. Lugd. 4.

Quisnam enim ille vir est, cujus testimonio res tota innititur? *Est Benedictus de Ruiz æditimus ad S. Nicetium*. Vah insignem a genere, a rebus gestis, a munere ipso Virum! Vah urceolorum, tintinnabulorumque custodis satis æstimandum testimonium, cui decus ornatissimi Galiardi committendum, cui amplissimæ societatis, præclarissimorum virorum locupletissimæ, propugnatio concredenda; cujus auctoritas, & sermo magni faciendus sit. Viro, quem *mores*, *eruditio*, *munera* ornent, & commendent, vix, & considerate admodum fidem habendam esse prædocent eruditi (*a*). Nec immerito a prudentissimis hominibus hoc dictum putamus, cum & sapientiores quandoque, ut Criticus non ineleganter ait, (*b*) improbo intervallo intercipiantur, & sic Vita hominum sit constituta, ut, & eruditissimi quique crebro errare soleant, & moribus gravissimi non raro decipi,

(*a*) Vid. *Johan. Clerc.* Epist. Crit. ad Galimbertum Galisburiens. Ep. IV. pag. 96.

(*b*) *Bohours* Maniere de penser &c. Dial. I. pag. 91. Ed. Paris. 1735. *les sages ont, de mauvais intervalles, comme les foux en ont des bons.....*

cipi, & insignia tenentes munera sæpenumero cupiditati, animoque suo indulgere. Sed Æditui auctoritatem, cujus *mores* ignoti & vulgares, cujus *eruditio* omnino nulla, cujus *munera viliora* necessario sint, oportet, numquam induximus animum, ut flocci pendendam arbitraremur. Quisnam tanto Viro Achillis authographum demonstravit? *Quidam Theatinus*. Nomen? *In attexta* enim *opellæ Epistola* necessario exprimi debebat. Nescitur. Patria? Ignoratur. Æditimus per id fortasse temporis fungum depurgans, vel Templi pulverem, sordesque verrens; sive quodpiam grave hujusmodi munus præ manibus habens, interrogare non advertit, aut non est ausus. Cur Theatinus Pugnam Spiritualem potissimum gestabat in manibus? Ratio præclara; & a cæteris non dissimilis. Quia *Theatinus ab Achille Galiardo nonnullam in via Spiritus instructionem poposcerat*. Miserum sane Theatinæ Congregationis fatum irremediabilibus lacrymis deflendum? Cum enim Andræas Avellinus, plerique pietate, atque doctrina insignes eximii Viri, veluti novellæ olivarum in circuitu mensæ Domini, per ea tempora in illa flore-

rerent, (a) qui Scriptis atque consiliis proximis suis in animarum regimine præsto essent, ac auxiliarentur, huic uni Theatino defuit, quem in sua familia in spiritus sui directione consuleret? Sed quisnam hæc præcepta ab Achille postulavit? Iterum juvat audire: *Quidam Clericus Regularis*. Quidam Clericus Regularis? Oh portentum! oh monstrum vix in Græcorum fabulis conceptum! Quis audivit umquam tale, aut simile vidit? Pugna Spiritualis ad Filiam Spiritualem habetur: sic enim exorditur: *Volendo tu, figliuola in Christo carissima......* Hoc & Brignon Jesuita confirmat (b), & hæc mulier extemplo coram æditimo Clericus Regularis effecta est? *Quid*, possumus usurpare Nazianzeni verba (c), *quid tacent Poetæ, quidve quærunt meliora*,

 si

(a) *Dominicus Gravina*. Vox Turturis audita est &c.

(b) In Præf. Versionis Paris. 1688. *L'Auteur adresse toutes ses instructions a une persone devote, qu' il nomme sa tres-chere File en* J. C. Damianus in versione Hispana 1722. *Hya muy amada en Christo Jesu*.

(c) Epist. 194. Candiano. τί σιωπησῶσιν οἱ περὶ τὴν ποιήσιν, τίνας λόγους ἀμείνους ἐπιζητοῦσιν.

si noster hic æditimus serio loquendo majora profert, quam græcanice, fabulosa docendo, scripta sint? Plura alia proferre possemus, quæ vanum, atque incredibile hujusce lampadarum excitatoris testimonium ostenderent, nec tam facile innotesceret quo loci nonagenarius (a) Clericus Regularis testimonium æditimo facturus, commoraretur; quanam ratione sexaginta circiter elapsis annis a Galiardi morte archetypus ab eo cognosci potuisset, ut Galiardi potius, quam aliena manu exaratum existimaverit: quam denique dolosa sit oratio, dum ait; *Unus quidem piæ Virgini adscripsit, alii aliis*, & silentio *aliis*, qui majus facessere poterant negotium, obvolutis, *Pia Virgo*, numquam antea, inter quos de hoc Libro contentio est, in scenam educta, profertur;

[a] Cum enim a prima Editione 1589. ad *1665.* in quo prolata fuit hæc fabella, anni *76.* intercesserint, Theatinus, qui saltem eo tempore sexdecim annorum major esse debuerat, nonagenarius certe præclaro illi Æditimo testimonium præbuit; qua propter Possevini censura notandus fuisset; *Apud quos ratio temporum non cohæret, apud eos nec veritatis, neque historicæ fidei ratio ulla constare potest.* Appar. sac. sect. 1. c. 10.

fertur; ut variorum nominum, & simulationum involucro usurpationis fœdissimæ deformitatem contegeret. Oh Lampadarum igitur, sepulcrorum, ærisque campani custos eximie, qui *dormientes testes* exhibes. *Vere tu ipse obdormisti, qui scrutando talia defecisti.* De quo hæc, & alia, quæ proferri possent, diutino agitare sermone libenter omittimus, ne eorum culpam subeamus, qui a Criticis idcirco accusantur, quia *in re manifesta nimium multa videntur adduxisse* (*a*).

At enimvero hunc ignotum, & insipientem æditimum, & fortasse ex libidine in medium prolatum, ut contradictiones, turbationesque fiant in aquis placidis; tantæ stultitiæ nomen dedisse non obstupescimus; illos miramur, & vehementer quidem miramur, qui, ut usurpemus *Bobours* Jesuitæ verba, *more quorumdam divitum* (*b*), *quibus cum magna vis auri, & argenti adsit, non tamen ab alienarum rerum usurpatione recedunt*

(*a*) *Antonius Caracciol* Synops. Vet. Relig. Rit. Part. I. cap. I. not. 10. pag. 46. Ed. Paris.

(*b*) Op. suprac. dial. 2. pag. 119. *rassemble un peu a ces gens riches de leur fonds qui ne laissent pas de s'accomoder du bien d'autrui.*

cedunt; qui, inquam, cum divites sint, *Laurentium Scupoli* potentia, atque vi, invita veritate, de certissima rei suæ possessione deturbare contendunt; qui per vicos, plateasque, & apud sapientes, atque insipientes, & mulieres potissimum Deo sacras, ab hominum consuetudine abdicatas, queis facile imponere est, errores istos prædicant, & diffundunt: qui demum *discissionibus suis*, si Augustini verba licet exscribere (*a*), *a fraterna caritate dissiliunt, quamvis, & ipsi credant, quæ nos credimus*. Quorum agendi rationem videtur Jesuita Possevinus descripsisse, dum *incrementa*, *ait*, (*b*) *ac incitamenta præbere erroribus quamplures, qui alios perstringunt, non ut veritatem exprimant, sed ut suggillent nomen alienum, vel odio impulsi, vel falsæ gloriæ spe adacti* ..... Sed quoniam mendacium, ut Chrysostomus asserit (*c*), nulla ratione celari potest, & *licet aliquantisper opinionem audientium confirmet*, *labente*

(*a*) De Fide, & Symbolo cap. X. Mihi T. III. pag. 65. lit. B. col. 2.

(*b*] *Possevinus* Biblioth. Select. Tom. I. *De cultura ingeniorum* pag. 45. Ed. Ven. 1603.

(*c*] *εἰς τὸν ἅγιον ἱερομάρτυρα Βαβύλαν*. prop. fin.

labente tamen tempore nihil, teste Demosthene (*a*), *illo infirmius*, factum est, ut nemo, præsertim, ex præclarissimæ Societatis Jesu scriptoribus, hoc in deliramentum deveniret, &, a prima Editione Veneta ad hoc tempus si repetamus, inter innumeros illius Societatis, vel unus, qui hoc profiteretur, inventus sit.

Non Antonius Possevinus piissimus Vir, ac eruditione clarus, qui Salesii, ut ajunt (*b*), Patavii Confessiones excepit, qui assidue *jucundissimum ab adolescentia*, ut ipse dictitabat, *Theatinorum Librum*, in ejus manibus aspexerat, *cujus consilio*, teste de Portilla, & Photio Jesuita (*c*), *Librorum optimorum lectioni vacabat*, quos inter *Pugna Spiritualis erat ei perfamiliaris:* Possevinus, inquam iste, qui omnium primus Galiardi, vitam adhuc degentis, Patavini Collegii, in quo ipse diu moram traxerat, satis

(*a*) *Demosth.* Ψευδολογία καιρῷ μὲν ἰσχυρὰν ἐργάζεται τοῖς ἀκούουσι τὴν ὑπόληψιν. Χρόνῳ δὲ πάντων ἀσθενεστέρα γίνεται.

(*b*) *Joseph Photius* in Vita D. Francisci de Sales, quæ præponitur ejusdem Operi: *Introduzione alla vita devota*.

[*c*] *Photius* loc. citat. *Michaël de la Portilla* in Vita Sales. Lib. I. cap. VI.

emeriti alumni, scripta omnia edita, atque inedita, ac etiam *quæ erant sudatura sub prælo* (a) (ipsius verba sunt) in Apparatu sacro duplici etiam appendice ornato, & a quattuor Societatis Theologis perlecto, atque probato, recensuit, nullum Spiritualis Pugnæ monumentum reliquit; de qua omissione, si Galiardo tribuenda Pugna fuisset, mirum est, neminem ex Sociis, qui Galiardum, ut ipse, de visu noverant, eum admonuisse. Hoc eodem silentio in sua Bibliotheca selecta usus est, in qua, cum inter pios Libros, quorum seriem in Bibliotheca Italica jam excusa se vidisse testatus est, *de imitatione Christi* opus recensuisset, Pugnam Spiritualem, tunc temporis per Italiam totam vagantem neglexit, licet & a Salesio tam sæpe in manibus gestari vidisset, & ab eodem Libro *de Imitatione aliquantisper præponi;* ut si Sanctissimi adolescentis a confessionibus fuisset, hoc vel ignorasse stupiditati, vel reticuisse ignaviæ esset tribuendum. Maximi profecto momenti

(a] *Possevinus* Apparat. Sacr. Tom. I. Lit. A. pag. 13. Ed. Ven. 1606..... *Cum quattuor ejusdem Societatis Theologi recognoverint ..... Claudius Aquaviva Præpositus Generalis.*

menti Sapientibus Viris videtur hoc argumentum. Vel Possevino, antequam selectam Bibliothecam anno 1603. sacrumque Apparatum 1606. ederet, notum erat Pugnam Spiritualem, celeberrimum opus, fœtum esse Galiardi, vel non? Si noverat, quare inter tot opera, præsertim in Piorum librorum, quam contexerat, se rie, in ipsismet recensendis socii sui sapientiæ monumentis non admisit? quare tot annorum spatio, editionibus tantis, celebrioribus in Urbibus, vario etiam idiomate, Theatinorum nomine vagantem permisit? Si vero hoc Possevinum latuit, quomodo tresdecim circiter elapsis annorum lustris Æditimo notescere potuit;& hic fuit fælix ille Agricola, cui datum est Thesaurum Jesuitico in agro absconditum invenire, lætus ille Pastor, qui deperditam tanto tempore ovem in domini sui caulam adduxit? Hoc eodem argumento Petium de Ribadeneira impetere possumus, qui vitam adhuc ducente Galiardo (*a*) Catalogum Societatis Scriptorum cum ab anno 1605. jam explesset,

(*a*) Obiit enim prid. Non. Jul. an. 1607. Mutinæ, non Mantuæ, ut errans Papadopoli adseruit, *in hist. Gymn. Patav.*

ſet, eumque eo defuncto, anno 1609. cum evulgaſſet, & Achillis edita ac inedita commemoraſſet, inquit: *hactenus Cathechiſmum evulgavit*. (*a*) Quæ verba a tanto Viro, cui Galiardus ſatis innotuerat, dum jam totum terrarum Orbem Pugna Spiritualis quinquaginta circiter Editionibus occupaverat, alta mente reponenda ſunt: *hactenus Cathechiſmum evulgavit*: bona quidem legentis venia ſi repetamus; maximi ponderis ea eſſe, nemo eſt, qui non videat: nam qui non videat nemo eſt, hiſce appoſitis verbis, Spiritualem Pugnam, nunquam inter Galiardi opera a Ribadeneira commemoratam, neque eam confeciſſe, neque evulgaſſe. Neque minor Andreæ Scotti auctoritas eſt, qui Julio Nigrone auxiliante, Catalogum a Ribadeneira auctum,& diligenter emendatum, non memorata Pugna Spirituali,

[*a*] Grignon, qui Matritenſem Ribadineiræ, Editionem a Lucero Soc. Jeſu Provinciali approbatam 1607. & Philippi III. Privilegio munitam 1609. cum vidiſſet, hæc excripſit ex ipſiuſmet catalogo in fine poſt lit. *Z Petrus Ribadineira ſcripſi ad hunc annum* 1605. *Catalogum Scriptorum Religionis Soc. Jeſu*, qui poſtea reimpreſſus Antuerpiæ 161 . *rel. hiſt. Jayme Elpidii pag.* 36. *in Notis*.

li, posteritati consignavit (*a*). Quam Pugnam Spiritualem & Philippus Alegambe, qui Bibliothecam Societatis extruxit, emisitque (*b*), in qua Achillis Opuscula omnia contexere diligenter curavit, Compendiolumque Christianæ Perfectionis a Johanne Bucellano latinitate donatum (*c*) adjecit, omittendam, licet omnium manibus tereretur, existimavit. Et hic *omnia, quæ Ribadeneiram fugissent, sedulo collegisse testatus est* (*d*). Quapropter *e tenebris nomina eorum, qui in suis Operibus evulgandis reticuerant*, in lucem revocavit, & *eorum*, qui *supposititia nomina*, *Symbolica*, *Initialia*, *Angrammatica* in libris suis usurpaverant, congessit, cumulavitque, nec Achilles Galiardi Pugnæ Spiritualis Auctor ab eo habitus est, licet *se multos etiam recensuisse, qui pauca quidem ediderunt in lucem, ne suo Catalogo aliquid deesse videretur*, professus fuerit; adeo ut Nicolaus Antonius in recensendos Societatis Auctores, Alegambe sedulam curam impendisse, *quem qui se-*

 quantur,

[*a*] Anno 1613.
[*b*] Anno 1647.
(*c*) Viennæ in Austria an. 1633.
[*d*] In Procemio.

quantur, *haud falli possunt*, declaraverit (*a*). Non Johannes Gerardi Jesuita sociis suis Opus concessit, licet, illud optime nosset, quinimmo Britannis votis petitum Anglice verterit (*b*). Non Daniel Bartoli, qui Achillis gesta hominum monumentis consignavit (*c*) neque de Pugna Spirituali jam satis ascetico Viro cognita, sermonem inivit. Non Papadopoli, qui, cum Soc. Jesu Institutum, quod apprime in oculis ferebat, per plures annos professus fuisset, tamen in Opere suo (*d*) nullum Achilli adaperuit locum, quamvis Auctorem hunc commemorasset, atque citra ineptias in ascetica versatissimum dixisset. Quod neque Raynaudus ille egit, cujus nomine usurpatio hujusce libri comparatur. Nam, quod & aliunde scripsimus, in prima suorum Erothe-

(*a*) Prefat. Biblioth. Hispan. pag. 42.

(*b*) Londini in Anglia an. 1598. relata ab Editore Pugnæ Spiritualis Rothomagensi an. 1613. ab Alegambe, & Sottuello in Bibliorh. Soc. Jes. & ab Alexio du Buc Cl. Reg. in præf. Edit. Pugnæ Spirit. Romanæ anno 1698. Art. V.

[*c*] Hist, Soc. Jesu in Parte, quæ est: *L' Italia* Lib. IV. cap. VII.

[*d*) Histor. Gymnasii Patavini.

thematum Editione, quam vivens exposuit (a), Opusculis Galiardi enumeratis, hanc inducere novam fraudem, honestus vir ne mente quidem intendit. Quid tandem dicendum est de clarissimo Nathanaele Sottuello Librorum Societatis Jesu collectore postremo (b)? Hic, si recte attendamus, tanta sedulitate, cura, sollicitudine enituit, ut diligentiæ signifer, quo nemo melior, videatur, tanto in suos efferbuit amore, ut illorum vel tantulam gloriam, maximo animi ardore perquisierit. Qui cum Societatis Bibliothecam tertio jam editam, undique accuratissime circumforaneus investigator cumulasset, cumque vel perexiguas ab aliis messoribus neglectas spiculas sedulo collegisset, atque nova, & vetera, maxima, atque exigua de Thesauri profundo extulisset, adeout Donatus Calvi Bergomensis, celebris ex Augustiniana Familia Vir, admirans Sottuellum dixerit (c) *manum suam misisse ad fortia, & digitos ejus apprehendisse fusum*; tamen

 Pu-

[a] Lugduni 1653. 4.
[b] Edidit. suum Catalogum an. 1672.
(c) *Donatus Calvi* Præf. Operis Italice Scripti: *Scena letteraria di Bergomo*.

Pugnam Spiritualem jam omnium ora, animosque tenentem prætermisit, neque Achilli suo adnotavit. Oh rem admirabilem, atque prope incredibilem! Nathanael ergo verus Israelita, in quo dolus profecto non erat, qui diligentia summa (Donatus ajebat) Epistolam quamdam Luchini, Rodriquez alteram, qua cum inter consanguineos adhuc moraretur Societatis Jesu Alumnis copulari cupiebat, alteram Provincialis, qua, ut moris est, socii mortem significabat, aliasque Talboti, Sachini, Realini, Briardi, Personii in Bibliotheca sua, quod certe criticos oculos offendit, singillatim adduxit: Nathanael, qui Theseos Garnerii, Aver, Gangue, aliorumque, quandoque bis, aut ter ne memoria prolaberentur, recordatus est, & Spinellum, quia nomina Martyrologii in Libello compillavit, Alliam, quia e Gallico in Latinum transtulit Indicem Sanctorum Lugdunensium, Egidium, quia publicavit Sanctorum Barcinonensium Officia, Labbe, quia tunc temporis ediderat sexdecim Librorum initia, Spiram, quia Meditationum Themata folio exposuit, Germaisons, quia *Opusculum* ignotum, *non editum* scripsit,

ſcripſit, qui Feſtivales Narratiunculas, ſingularia Elogia, Tabulas expanſas ac breves, Odem Pindaricam, Elegiam, Epigramma, Hymnum, Schematiſmum, Emblemmata affixa intercolumniis Templi, verſum unum, & alia hujuſmodi in collectione ſua vir perdiligens voluit; Nathanael denique, qui cum audiſſet Briſtonium concionem edidiſſe, nec, quid in ea contineretur, aſſequi potuiſſet, ait: *Briſton edidit Concionem quamdam*, & Opus Georgii Ugherii, ut majorem adderet Auctori exiſtimationem, hoc titulo enunciavit, *edidit volumen bene magnum*, & ne quiſque ſua gloria vacaret, maluit a quibuſdam minus ſapientibus irrideri, quam videri parcipromus, & indiligens: Nathanael Sottuellus, inquam, tam immenſæ diligentiæ Vir, qui nullum fruſtulum oculatiſſimus omiſit, Pugnam Spiritualem inter Galiardi Opera non indicavit. De quo cum Compendium Perfectionis, & Cathechiſmum recenſuiſſet, reliqua ipſius Auctoris Opuſcula commemoraturus, ait: *Hæc ſcripſit, ſed non edidit*. Neque vero Raynaudi Erothemata, quæ hunc errorem ab aſſentatoribus Librariis injectum proferebant,

bant, Sottuellum perſpicaciſſimum Virum delituiſſe dicendum eſt. Quis enim ſuſpicari, non dicam aſſerere, poſſet Sottuello e pulverulentis capſis, ex omnibus officinis, ex hominibus cunctis, cunctiſque Libris, quod Scriptoris maximum munus, & ornamentum eſt, documenta omnia ad ſuam illuſtrandam Scriptorum Bibliothecam agitato ſtudio quæritanti, errorem, quem ſaeri æris cuſtos ridiculus commentitia narratione vulgarat, & in Libris impreſſus fuerat, neceſſario ſibi, atque ex munere legendis, ignotum fuiſſe? Quæ cum ſatis perſpicua ſint, quiſnam tam arriſor, atque inconſultus, univerſa Societate Jeſu hunc librum recuſante, præclaris illis collectoribus renuentibus, reiiciente Sottuello ipſo, cujus amor in ſuos maximus, cujus diligentia ſumma fuit, non turpiſſimæ uſurpationis reos habere malit, & illi doctiſſimorum hominum ditiſſimæ, atque Librorum locupletiſſimæ Societati ovem a Theatinorum extractam ovili adducendam exiſtimet? Si cum *Auctor*, ita apud Antonium Caracciolo (*a*) recenſent, definiuntque Critices Magiſtri, *ex pro-*

feſſo

(*a*) Synopſ. Vet. Rit. ubi ſup.

fesso de re aliqua tractans illud præterit, quod alioquin dicere debuisset, tantum ejus silentium valet, ac si negasset, quo potiori jure non uno, sed omnibus Societatis Jesu Scriptoribus Librorum suorum seriem acuratissime texentibus, Achillisque gesta, & scripta narrantibus, nec de hoc Libro, cunctis notissimo, instituentibus mentionem, nos *Scupolum*, cui fere omnes favent, in legitimam indubiamque sui Libri possessionem subrogantes, Achillis Galiardi fabellam eliminandam esse arbitrabimur?

Neque dicendum est, eximios illos, quos adduximus, Societatis Jesu collectores Pugnæ Spiritualis nomen ignorasse, ac latuisse omnino; quia plerique illorum in suo eam Catalogo descripsere, & tamen Achilli numquam tribuendam putarunt. Alegambe enim Pugnæ Spiritualis versionem Anglicam a Gerardo Societatis alumno confectam produxit, neque idcirco Italice recensendam esse sua in Bibliotheca existimavit, ut Galiardo suo redderet. Fieri ne potest, ut cum Alegambe, ea qua exposuimus, cura, & diligentia operi suo vacaret, cæterisque Scriptori-

bus

bus sedulitatis exemplar proponeretur, de Pugna Spirituali agens, dum sibi esset ex Instituto de Auctore dicendum, interprete solummodo recensito, Auctoris principis, si ex sociis ipse fuisset, oblivisceretur? Sed quid Alegambe? Sottuellus testimonio suo omnium hominum argumenta & testimonia antecedit; quia cum inter diligentissimos clarissimus effulgeat, dum & ipse Pugnæ versionem a Gerardo describit, Italum tamen Pugnæ Spiritualis Auctorem omnino non adscivit. Mirabile dictu! Sottuellus Pugnæ Spiritualis Auctorem apertissime negligit, omnes Jesuitæ Scriptores illam prætermittunt, non solum in collectione Operum, quæ Jesuiticam Bibliothecam exornant; verum etiam nemo fortasse est inter Asceticos Societatis Jesu magistros, præcipue inter eos innumeros, qui D. Ignatii Spiritualia exercitia commentariis illustrarunt, librosque eo tempore perlegendos suggerunt, ac recordantur, nemo, inquam, est, si diligentia nostra, hacce in re perquam maxima adhibita, nos non fallit, qui Pugnæ Spiritualis mentionem habeat, qui Librum hunc perquam utilem a Salesio,
aliisque

aliisque præclarissimis Viris, tanto habitum pretio, ac perficiendis animabus aptissimum, legendum consulat, & exhibeat; ut speciali nota digni inter alios sunt, Possevinus, (a) qui ex professo librorum Spiritualium Religiosis instituendis seriem copiosam congessit, & Pugnam omisit, & Crassetius, (b) qui quaque die asceticis hominibus libros non paucos eorum usui proponit, & Pugnæ penitus oblitum se ostendit. Quod profecto Societatis Viros non egisse, neque agere, si liber hic adeo clarus tamque existimandus, e Societatis Thesauro prodiisset, nemo est, qui non videat, nisi fortasse de eorum numero sit, de quibus verba habuit Augustinus, (c) *qui videre non possunt, quæ alioquin viderent, si per contentionis nebulas non excæcarentur*. Oh Librariorum ergo intolerabilis audacia, qui tam putidam fabellam præter sapientissimæ Societatis mentem in Pseudo-Theophilo intrudere non erubuere, quos sequi

Ma-

(a) In Biblioth. Selecta, ut supra.

(b) *In Opere* Manna del deserto *Italice e Gallico converso* Ven. 1706.

(c) *Augustinus* de fide contra Manich. cap. XXI. pag. mih. 238.

Marescandoli Lucensis, & Rossetti Parmensis, Æditimi testimonio exscripto, non dubitarunt.

Quibus ante omnium conspectum positis, nihil contra nos auctoritas eorum, qui Trevoltiana in Accademia Rectores, Pugnam Spiritualem Achilli Galiardo tribuere. Sic enim in monumentis suis (*a*) : *Ce Livre de devotion (le Combat Spirit.) si generalement approvè, dont le Pere Achille Galiardi Directeur de S. Charles Borromèe est le primier Auteur, que le P. D. Jean Castagniza Benedictin Espagnol tradusit sur le manuscrit du P. Galiardi, & que le Pere Lorenzo Scupoli Theatin a depuis augmentè de plusieurs chapitres edifians, mais hors d'oeure, ce qui l' en a fait croire l' Auteur*.... Hæc quidem illorum assertio; sed ut Bellarmini utamur verbis (*b*): *Dicunt, at non probant; sin autem dicere apud eos probare est, pari ratione inficiari, refutare esse debebit*. Quamobrem, cum opinio hæc tot enucleatis documentis jam dejecta sit, neque instituto examine, aut cujusdam suffulta auctorita-

te,

(*a*) Memoires pour l' Histoire &c. Jullet 1713. pag. 289.

(*b*) De Romano Pontifice Lib. III. cap. 20.

te, nisi fortasse Turris Campanarum (*a*) Præpositi, ut rei gravitas, & controversiæ ratio postulabat, prolata fuerit, minus opinioni nostræ officere videtur. Quibus si addamus pios & doctos Viros sensisse, & modo sentire ea, quæ *Scupoli* suo Operi adjecit, non inepte, importune, aut *hors d'oeure*, ut iis asserere placuit, (*b*) sed immo aptissime, ut infra dabimus, adjecta fuisse, caussa nostra profecto inoffensa, & secura pervadet, & nos surdas omnino aures turpissimæ accusationi præbentes, qua, alioquin clarissimus Vir, Jo: Bianchi Ariminensis in illos nuperrime lacessitus debacchatus est, (*c*) confidimus, cum Augustino scribentes (*d*), *eos cum secum ipsis*

(*a*) Vulgò *Campanaro*. Hac utimur Voce, quæ Aureæ latinitatis Professores offendit, ut tanti Viri præclara munera omnium oculis subiiciamus; quamvis ingenue profiteamur, cum Ambrosio atque Augustino, nos politiori, elimatiorique stylo non scribere, quia scribimus; *ut omnes intelligant, non ut commendent Grammatici*; *sive reprehendant*; ex Syxto Senensi in Bib. sancta.

(*b*) ut supra.

[*c*) Quod videre est apud ornatissimum Johan. Lami: *Novelle Letterarie di Firenze. Mese di Giugno, e Luglio* 1744.

(*d*] *Augustinus* de peccat. Tom. XI. in præf. Editionis Maurinæ.

ipsis sine certandi studio cogitabunt quam sit absurdum, nec dignum disputatione quod dicunt, sententiam protinus commutaturos; quemadmodum ipsimet, veritatis unice sectatores, Trevultiani se facturos apertissime professi sunt (*a*): *Nous ne pretendons pas etre infallibles, & quand nous avertissent de nos fautes, nous les publions sans peine, toujours determinez a garantir nos Lecteurs de l' erreur, & à rendre justice aux Auteurs.* Quod pluribus, gravissimisque Societatis Jesu Scriptoribus in morem venisse pereximia cordati homines approbatione admirantur, quos inter laudatissimum commendant Danielem Papebrocchio, qui de Augustissimi Corporis Christi officio cum errasset, & a Cl.Natali ab Alexandro admonitus fuisset, ingenue se errasse confessus est, quemadmodum iterum egisse videmus in retractatione sui systematis de (*b*) Francisci Paulani ætate. Hoc & libentius ex Mariana Jesuita scriptore, qui ait, *hoc credo ignorasse*; *sed admonitos retractaturos*, speramus, eo magis cum nonnullos ex

eadem

(*a*) Memoires de Juin 1713. pag. 105.
(*b*) In disputation. de Advent. S. Iacobi in Hisp. c. 3.

eadem societate graviſſimos Viros in ſententiam noſtram deveniſſe conſpicient.

Quorum primus Petrus Ortiz de Moncada Jeſuita Hiſpanus, Theologus, qui in Libro, quem vernacula lingua evulgavit: *De la Comunion Eſpiritual* Laurentium Scupoli ad ſydera extollens, ſic ſcripſit (*a*): Y *no es: el que con menos expreſſion lo declara el V. P. D. Lorenzo Eſcupoli en la primera parte de ſu Combate Eſpiritual tan eſtimado, y deſeado....* & *infra* (*b*). *Lo miſmo enſena a quel gran Varon, y acendido eſpiritu de la Orden de S. Cayetano el P. D. Lorenzo Eſcupoli en la primera parte de ſu Combate Eſpiritual*, & inferius (*c*) etiam idem honorificentiſſimis habitis verbis affirmavit: *Tambien es muy digna de hazerſe a qui lugar la norma, y metodo de comulgar eſpiritualmente, que pone en la primera parte de ſu Combate Eſpiritual el Ven. P. D. Lorenzo Eſcupoli de la ſagrada, y exemplariſſima Orden de S. Gayetano*. Huic Thomas

(*a*) In ſecunda impreſſione Matriti 1695. Tract. I. Lib. II. cap. 3. num. 8.

(*b*) Lib. IV. cap. 5. num. 2.

(*c*) Lib. IV. cap. 8, nnm. 14.

Thomas Sanchez, itidem Jesuita, manum adjunxit, qui, in Matritensi Collegio cum degeret, Pugnæ Spiritualis Versionem approbaturus (a) hisce verbis usus est: *He visto el Libro intitulado Combate Espiritual escritto por el P. D. Lorenzo Escupoli de los Clerigos Reglares de S. Cayetano, y dado muchas gracias a Dios de que este tesoro preciosissimo del Espiritu tan celebrado en todas lenguas y Naciones aya finalmente sido participado à la nuestra entero, y cabal (b) por la zelosa diligentia de su Traductor .....* Andreas pariter Bianchi Societatis Jesu Theologus, qui, cum in Opere, quod inscribitur: *Il giorno santificato nel secolo, dedicato a S. Ignazio Lojola*, a pio ex Sæcularibus Sacerdote edito, Pugnam Spiritualem *Laurentio Scupoli* attributam conspexisset, illud approbans libentissime, sententiam nostram confirmare non est veritus. Quid insuper

[a] Versio Brunonis de Solis Carthusiani in approbatione emis. prid. Kal. Jan. anni 1673.

(b) *Entero y cabal* dicit, postquam Carolus de Palma Cl. Reg. manuscriptis Laurentii Scupoli adhibitis ab omnibus erroribus Pugnam Spiritualem vindicavit. Juxta emendationem autem hujusce Jesuita Sanchez versionem perfectam approbabat.

insuper de circumspecta scribendi ratione, qua Johannes Brignon Jesuita in Gallica sua versione Pugnæ Spiritualis, a tribus Societatis Jesu Theologis, & a Provinciali Picart commendata usus est? Hic sane, cum suæ alioquin Societatis teneretur officio, impudensque mendacium reformidans, contra veritatem ferre recusaret, ex altera parte ne invisus judicando haberetur, sic caute scripsit: (*a*) *Je ne me hazarderai point a decider ce differend, quelque interet que j' y puisse avoir. Car outre que cela demanderoit une trop longue discussion, j' aime mieux laisser chacun en possession de ses droits, que de me faire des ennemis en me declarant ouvertement pour l' un des partis*. Hæc ille, cui laus danda, si quid dixit, venia, si quid reliquit. Neque enim sapiens Jesuita culpandus, si illorum morem gesserit, quos eruditus Criticus notavit (*b*), qui *volunt quidem nosse veritatem, sed nolunt eam in suum detrimentum innotescere*; immo grates Brignonio, Theologis, Provincialique suo Præposito perpendimus per-

(*a*] Avertissement du Traducteur.

[*b*] *Johan. Clerc.* Epist. III. Crit. ad Gilbertum Salisbur. Episc. pag. mihi 78.

perquam maximas, quia nihil in causſa propria decernentes, locum graviſſimæ dubitationi relinquunt iis, qui norunt ſociorum phraſes, ac animum in operibus ſuis laudabiliter vindicandis.

Sed cum capiti celeriter mederi poſſimus, reduviam, ut ajunt, curamus, ſi cæterorum argumenta quæritantes, Achillem Galiardum Jeſuitam ad quæſtionem non adducimus. Brevior enim pugna, ſi Imperator, pro quo ſumuntur arma, cedat, evadit. Qua circiter tempeſtate optimus ille Vir perſpicuum Cathechiſmum ad populi documentum evulgabat, Pugna Spiritualis, magno hominum plauſu, perlegi cœperat. Nomen ille Achillis Galiardi Auctoris ſui in fronte pertulit; hæc nullius nomine diſtincta. Ille ab Auctore, populis auxiliari cupiente, publicam in lucem efferebatur; hanc Auctor timidus, & humillime de ſe reputans, evulgare reformidabat, & quemadmodum diverſæ prorſus, atque pene oppoſitæ Res plures Eccleſiæ Patres ad eumdem Dei conſervitium traxerunt; ita & hi Auctores eodem fortaſſe cogitationibus ſuis collineantes, alter recondita, trepidantique animi demiſſione, alter manifeſte,

ala-

alacrique zelo, animarum salutem prosequebantur. Inflammato interea studio de Auctore Pugnæ Spiritualis certa documenta Italia tota efflagitabat; dumque Achilles Galiardi librum a se in lucem prolatum nomine suo ornaverat, Sanctus Milani primus omnium, si recte existimamus, anno 1593. Auctorem Pugnæ Spiritualis nomen suum dissimulantem, *Clericum Regularem, vulgo Theatinum*, fuisse apertissime declaravit his verbis: *E' Opera de' PP. Cherici Regolari Teatini*, quem sequuti sunt Tarquinius Longo in Editionibus Neapoli 1599. 1600. 1603, & Simeon Perlasca in Bononiensi 1603. in qua hæc habentur: *Sebbene l' Auttore per sua religiosa modestia non si nomina, già si sa essere della Ven. Congregazione de' Cherici Regolari Teatini assai chiari, e noti al mondo*. Hæc itaque eodem fere tempore evenere, quo Achilles, vel Mediolani, vel Augustæ Taurinorum, Venetiis etiam Præpositi munere fungebatur, quibus in locis Eum legisse, vel audivisse, asceticum Virum, de Pugna Spirituali non pauca facile persuasum habemus. Is tamen cum præsertim Brixiensi in Collegio, quod aliquando ad-

E mi-

ministravit, Alexandri Luzzago Equitis sanctissimi, actus, & opera penitius introspiciens, animum moderaretur, eumque summo loco Spiritualem Pugnam, (a) quam Cardinali Cusano legendam miserat, habere intelligeret, numquam scimus illum admonuisse, quod ejusmodi Opus, non Theatinorum erat, ut evulgabatur, sed suum, vel alterius e sua societate probati Viri. Quid plura? Mutinæ etiam, ubi Galiardus, antequam extremum fatum subiret, per aliquot annos sanctissimis exercitationibus pia quotidie munera pertractabat, Liber iste, repetita, summis laudibus, Bononiensi Editione, evulgatus, maximo omnium consensu perlegebatur, & quasi unicum opus ad animarum perfectionem excolendam avidissime requirebatur, quod certe Galiardus, & Galiardi Socii, spirituali lucro pro viribus intenti, novisse debuerant, & tamen vel ipsum, vel eorum aliquem conquestos fuisse de hæreditate propria ad extraneos conversa, numquam hominum memoriæ traditum est.

Quam-

[a) In Vita ipsius. Brixiæ 1629. pag. 174. & seqq.

Quamobrem si vetus Nazianzeni Proloquium in lucem revocare velimus, (a) *silentium haberi pro testimonio*, quod etiam inter potiores Jurium leges adoptatur, cur garruli Æditimi testimonio, cujus memoria cum suo sonitu perire debuerat, ipsiusmet Galiardi, universæque Societatis silentium non præferemus? Sexaginta ergo, & ultra post annos Æditno, campanarum exercitatione, non libris pertractandis versato, tot eruditissimis ac præclarissimis Viris silentibus, demandatum est, ut amplissimæ Societatis jura propugnarentur? Quæ amabo, in Galiardo, munere, quo fungebatur, impigro, stupiditas, qua certo certius tot in Urbibus tam præclarum Opus Clericis Regularibus tributum, vidit, & siluit. Quæ in cæteris sociis insitata per tot lustra desidia, cum alioquin honestissimo Societatis amore acti in hujusmodi caussis soleant concitato progredi gressu; præsertim cum, Alexandrino teste (b), *homines libros suos tanquam liberos eximia, æ-*

(a) In Epistola ad... *τὴν σιωπὴν συγκατάθεσιν ἶναι διδάσκει κὴ ἡ παροιμία.*

(b) In principio l. I. Stromatum, ad proverbium & Hieronymo familiare.

ternaque charitate prosequi videantur. Quæ, cum Justus Fontanini considèrasset, asserere non dubitavit (*a*) Societatis Jesu prudentissimos Viros numquam nomen dedisse errori illapso in Operibus Raynaudi, cujus cæterequi *summa in exscribendo credulitas ab eruditis convincitur*. (*b*) Gravissimum Virum denique hæc eadem nobiscum sensisse in comperto habemus. Hic nempe Jacobus Philippus est Thomasinus, Æmoniæ Antistes, dignus, ut incœptam de turpi Sepulchrorum custodis testimonio claudat disceptationem. In ornatissima Bibliotheca sua, *quam Athenas Patavinas* dixit, quamque jam cœperat congerere, publicamque in lucem proferre, quamvis omnium Patavinorum Opera nosset, & solertissimus eorum investigator haberetur, tamen

men

(*a*) In Libro *della Eloquenza Italiana* pag. 684. Ed. Venet. 1737. Gli Autori della Biblioteca de' Scrittori Gesuiti meglio informati degli altri non sono caduti mai in questo errore, in cui cadde, chi assistette all' Edizione delle Opere di Teofilo Rainaudo.

(*b*) Johannes Launovius de vera causa seccessus S. Brunonis ad eremum cap. 5.

men Achillis Galiardi (*a*), concivis sui, omnibus, quæ alias perpauca sunt., Opusculis recensitis, Pugnam Spirtualem certe constat omisisse.

Quæ cum ita sint, satis quidem videbamur hæc scripsisse, ut falsa quorumdam opinamenta, molestamque impudentiam cohiberemus, atque Æditimi, & id aliorum genus auctoritas omnino confringeretur, cum nostras ad manus pervenit Michaelis a S. Joseph Hispani Bibliographia Critica, in qua neglecto Castagniza, & *Scupoli*, Mercatorum, & æditui figmentum a sepulchris fortasse S. Nicetii excitatum conspicimus: (*b*) *Galiardus Achilles ...... Verus auctor asseritur a P. Theophilo Raynaudo Aurei Libelli de Christiana perfectione Compendio exposita, itemque cujusdam Opellae, cui titulus: Certamen Spirituale, quam ex Latina Gallice versam, varii supposuere variis*, & inde religiose ridiculam narrationem, quæ in

(*a*) Exstant prima hujusce Operis impressa folia apud Cl. Nobil. Vir Jo. M. Mazucchelli Brixiensem in Italicæ Litteraturæ monumentis evulgandis studiosissimum.

[*b*] Bibliograph. Crit. Tomo. II. Verb. *Galiardus Achilles*.

in Raynaudi Operibus injecta est, exscribit, tam immerito, & perperam, ut gravissimis hominibus stomachum movens, non rationem aliquam, sed immoderatum turpissimæ adulationis furorem, non minus in hac, quam in cæteris ejusdem sententiis, sequutum esse criminentur. Quid enim? Nonne Matriti, ubi Opus edidit, Jaime Elpidii concivis sui vindiciæ pro *Laurentio Scupoli*, quæ laudatissimæ sunt, nullaque ratione confutandæ, totam urbem tenebant? Nonne tot Scriptorum approbationes, usu jam confirmatas audierat? Nonne si aliquis error illi in deliciis fuisset, minus culpandus esset, si Argaiz Viri Hispani opinionem esset amplexus, qua prudentes etiam Viros seduxerat? Quomodo ergo Achillis Galiardi nomen, quod vix umquam fuerat in Hispania pro tanta usurpatione prolatum, ubi etiam obsoleta jamdudum sententia despiciebatur, in Bibliographia Critica magister, solidioribus documentis omissis, inseruit, & jam eversam assertionem suis votis ratam facere non erubuit? Cujus tamen, etsi censoria plectendus virgula videatur, dignitatem, & eruditionis laudem observamus,

ſervamus, hoc unum, ſi liceat, commemorantes, quod inter Græcos quondam jactari conſueverat (*a*) *οὐδὲν ἡ μάθησις, ἢν μὴ νοῦς παρῇ*. Quodque familiarius inter Hiſpanos ſuos pluries fortaſſe audierat vetus adagium : *La ſciencia es locura, ſi buen ſenſo no la cura*. Erubeſcat ſane de Magnificis ſuarum dignitatum titulis, quos in ſui Operis fronte, cordatorum omnium nauſea , ita congeſſit, cumulavitque, ut potiori jure in ipſum retorqueantur Menchenii verba, quibus ipſemet Alphonſi Laſor a Varea vaſtiſſimæ, ac peneimmenſæ eruditionis Librum impetiit. Caveat *ne* maximo, meritoque litteratorum conſenſu *revoluta tela in Auctorem vertantur*, & ipſa ſua feriatur ſententia, quam in Paulum Jovium jaculatus eſt(*b*): *Sunt quidam* , ſic ſcripſit , *qui integriorem fidem ,& calamum minus affectibus indulgentem , in Jovio deſiderarent , nec deſunt, qui minime dubitent inter venales Jovium adnumerare*. Heu quantum

 Scri-

(*a*] Habetur inter Veterum Græcorum adagia: h. 2. *Quam nihil, cui mens deeſt, eruditio*.

[*b*) Bibliograph. Tom. III. verb. *Jovius*. Claud. de III. Conſul. Honorii.

Scriptoris munus ac nomen, si in aliquem Virum, vel Institutum, sive Gentem, ac Principes plus æquo propensus sit, offendit. Suæ itaque melius consulat famæ eruditissimus Michael, & in nova, ac promissa sui, tamdiu expetiti Lexici, productione sapientum magis, ac veritatis amantium ingenuas laudes promereri studeat, quam fallaces, ac crimini obnoxias, quorumdam sententias superstitiose sectari. Procul. dubio maxima hominum approbatione ornabitur Liber, si religiosa moderatione dignitatum titulos arceat, adulatione abstineat, & eximiæ eruditioni, librata lance, Veritatem adjungat. Quod equidem facturum doctissimum Virum speramus. Non enim inter odibiles, omnique censura dignos, recensendum suspicamur, de quibus illustris ille Cartesianus scribens quærebatur. (*a*) *l' orgueil de certains ʃcavans qui veulent, qu' on les croye sur leur parole, nous paroit insupportable, ils s' irritent dès que l' on s' oppose a leur sentiments, & ils veulent absolument, que l' on prefère les tenèbres de leur imagination a la lumiere pure*

[*a*] Malebranche in præfatio: operis: *de le recherche de la Verité.*

pure de la verité. Quantum expeditis illi, disceptationem Seneca claudat (*a*), *erat dicere, mendacium, & fabula est*, atque, ut ait Livius, (*b*) *famæ rerum standum est: neque affirmare, neque asserere opus est:*

Quoniam vero, cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet, ut inde firmior, & validior caussa nostra evadat, quamplures in possessionis nostræ præsidium sistere non piget, qui thesaurum hunc præclaro Theatinorum Ordini libentissime confirmarunt. Quia tamen enumerationes, cum plerumque, si prolixæ sint, fastidium soleant creare, ita a nobis fiet, ut brevissime, non tam ad illustrandum, quam ad perficiendum argumentum nostrum, recenseantur. Primus itaque maximo splendore refulgens, atque conspicuue, qui cæterorum agmen instruit, & in rei nostræ defensionem accurrit, Franciscus Salesius sit: Salesius ille, qui, *cum Religiosorum hominum consortio mirum in modum delectaretur, quando Patavii in Gymnasio, aut consuetis solitæ devotionis*

 Ba.

(*a*) Quæst. nat. lib. 47. 7.
(*b*) Lib. 5. Hist.

Basilicis non reperiebatur, in eorum inveniebatur Cellulis, ubi eos avidissime conveniebat. Hic inter cæteros *sanctum Virum Theatinum*, & fortasse, ut innuimus, ipsummet *Laurentium Scupulum*, Urbem illam per ea tempora Venetiis adire solitum, invisebat, a quo cum Pugnam Spiritualem nuper impressam accepisset, optime instructus, de Auctore illius certissima monumenta reliquit; quæ nobis per Petrum de Camus Bellicensium Præsulem integre sic asservata sunt (a): *Le Livre du Combat Spirituel (disoit saint Francois) m' enseigne de ma jeunesse: c' est mon Maitre aux choses de l' esprit, & de la vie interieure, (b) depuisque j' ètois Ecolier a Padoue un Theatin mel' einseigna. J' ay suivi son' avis, & m' en suis trouvè bien. Il à etè composè par un saint Personage de cette celebre Congregation, qui à cachè son nom particulier, & l' a laisse courir sous le nom de sa Compagnie, qui s' en*

(a) Esprit de Saint Francois de Sales Parte XIV. lect. XV. & in Italica Versione Ven. ed. 1737. p. 2. c. 7. pag. 79.

(b) Anno 1590. Patavii morabatur, ibique Doctorali Laurea donatus Non. Septembris, ab ea Urbe VI. Non. Octobris Romam petiturus eodem anno discessit.

s' en sert en la maniere presque, dont les Jesuit se servent du Livre des exercices de leur bien-heureux Ignace de Loyola. Idem accepimus a clarissimis Viris, qui oculati testes, Sanctissimi Præsulis gesta intime noverant, ac posteritati tradiderunt; nempe a Carolo (*a*) Augusto de Sales, Genevensium post Patrum Antistite, qui hæc scripsit. *Accessit pro complemento piissimi* Theatinorum *Libelli, cui titulus,* Pugna Spiritualis, *utilissima Lectio;* a Johanne a S. Francisco Cistercensium Abate Generali, cujus hæc sunt verba: (*b*) *Cum ad manus Francisci pervenisset parvum, sed eximium Opus,* cujus Theatini Auctores sunt, *Pugna scilicet Spiritualis;* ab Aloysio de la Riviere ex Sacro Minimorum ordine, a quo hæc habemus: (*c*) *Eodem fere tempore Liber conscriptus Pugna Spiritualis,* per Theatinos elucubratus, *ejus manibus successit.* Quod & Petrus de Camus passim in laudato Opere, Philibertus de Boneville (*d*) Capuccinorum in Sabaudia Provincialis, ejusdem

(*a*) In Vita Edita Romæ anno 1634. Lib. I.
(*b*) In Vita Ed. 1624. Lib I.
[*c*] In Vita Lib. I. cap. IX.
(*d*] In Vita cap. III.

dem Præſulis σύγχρονος omnes, ac perquam familiares, apertiſſime declaraiunt. Præſertim hoc egit D. S. Pariſienſi in Univerſitate Sacræ Theologiæ Profeſſor, qui Pugnæ Spiritualis Verſionem Gallicam Franciſco Saleſio, eadem in Urbe moram trahenti dicavit, a quo hæc ſumſimus (*a*) : *L' Autheur m' à etè inconnu juſqu' a l' anneè derniere, qu'un de mes amis, homme de grand merite, m' apporta d' Italie ce Combat Spirituel, & parceque j' ai apreis par cette derniere Edition de qui il etoit, j'ai pensè que ces bons Peres* (Fueillans) *qui ne reſpirent que la caritè auroient agreable, que j'en dit quelque choſe, non ſeulement pur ne fruſter ſes autheurs de cette petite parcelle du fruit de leur travail, qu' encor pour augmenter la creance de cet-Oeure, & pour le faire eſtimar, & recbercber d' avantage, quand l' on ſcaura qu' il a ètè composè par les* Reverends Peres Theatins. *Ce ſont des Clercs, & de Pretres*....quæ verba tanta conſtantia, tanto Præſule coram in Operis cognitione verſatiſſimo, cujus conſuetudine intima fruebatur Doctor ille, prolata

(*a*) Pariſiis 1608.

lata perpendens piiſſimus alter Pariſienſis G. D. M. (a), qui novam Pugnæ Spiritualis Gallicam Verſionem Pariſiis edidit, atque Annæ Auſtriacæ Galliarum Reginæ ſacratam voluit, profeſſus eſt, Pariſienſem illum Theologum nullatenus ſic locutum fuiſſe, niſi rem penitus examinaſſet, atque certiſſimis documentis noviſſet, cujus ſententiam, quia maximi eſt ponderis patrio Idiomate ſicut non piget exſcribere, ita nec pigeat excipere. *Celuy, que le Combat Spirituel traduit ſans y mettre ſon nom, & qui le dèdie au Francois de Sales Eveſques de Geneve, dit, que le uray Autheur de ce Livre eſt un* Regileux Theatin, *& il le dit avec tant d' aſſurance, & devant un Prelat ſi verſè en la conoiſſance de cette piece incomparable, que cela nous doit faire croire; qu' il avoit bien verifiè, ce, qu' il diſoit. Il me ſembla meſme a conferer enſemble ce, qu' il en raporte dans l' epiſtre, & dans le Preface, qu' il en avoit receu de Rome quelque Edition Italienne, qu' attribue ouvertement ce Livre a ces eccellens Religeux.*

Quod

(a) Pariſiis 1648.

Quod si Garzias (a), Causinus (b), Photius (c), & Talon Jesuitæ (d), aliique ex illa illustri familia, qui Acta Salesii scripserunt, vel hoc, Theatinis gloriosum, monumentum ignorasse finxere, vel religiose a commemoratis Scriptoribus plura exscribentes, ubi ad nomen Theatinorum ventum fuisset, prætervolandum esse duxerunt, qua ratione id egerint, nostrum non est ad trutinam revocare, satis superque contenti, quod si Auctor ex eorum illustri societate fuisset, & probare possent, Viri sapientissimi non tantum Galiardi nomen in Salesii Vita silentio non obvolvissent; verum etiam in ipsorum Bibliothecis ac Libris Galiardum ubique terrarum, clarissimis rationibus ac testimoniis munitum, usque adhuc produxissent, maximisque plausibus ornatum exaltassent in Ecclesia plebis, & in Cathedra seniorum laudassent illum.

Since.

(a] In Vita D. Francisci de Sales, quæ est in Addit. ad *Flos Sanctorum*.

(b) Operum S. Francisci de Sales, Gallice *Le Pere Spirituel* sect. VIII. §. IV. num. XLI.

(c] In Vita Francisci de Sales, quæ preponi solet Libro, qui inscribitur: *Introduzione alla vita divota*.

(d) In Vita ejusdem Gallice scripta 1640. c. 4

Sincerioribus Salesii documentis aliud illustre testimonium adjungimus, Alexandrum nempe VII., qui, cum antequam ad Pontificii culmen Honoris eveheretur, Coloniæ Agrippinæ Pugnam Spiritualem Apostolicus Nuntius Typis consignari jussisset, cumque Jesuitarum consuetudinem ita adamaret, ut illis necessarius magis, quam Patronus videretur, nullum tamen oppositum sententiæ nostræ argumentum accepit, quin immo in productione trium Operum, quæ Coloniensibus Typis commisit, (a) nempe *Directorii Spiritualis Francisci Salesii*, *Compendii Perfectionis Christianæ Achillis Galiardi*, ac *Pugnæ Spiritualis*, *eam Laurentii Scupoli* nomine insignitam libentissime concessit. Ad summum vero Ecclesiæ Pontificatum assumptus, cum solemnem Salesii Apotheosim perfecisset, Clericorum Regularium Rectori Supremo (b) gratula-

tum

(a] Coloniæ Agrip. apud Tesor del Monte 1642. 12.

(b) Exemplar Epistolæ encyclicæ P. D. Augustini Bozzomo Clericorum Regularium Generalis Præpositi. Romæ 15. Jan. 1662.

RR. in Cristo Padri, e Fratelli. *Grande fu l' affetto, e l' amore, che il Santo Vescovo, e Prin-*

tum misit, afferens Theatinorum Congrgationem Franciscum de Sales inter charissimos filios adoptare debere, quia pie-

Principe di Ginevra Francesco di Sales, portò sempre alla nostra Congregazione, e massimamente al Libro del Combatimento Spirituale, *composto dal nostro devotissimo* D. Lorenzo Scupoli, *il quale per la molta sua umiltà in Vita lo fece camminare col solo nome di un Cherico Regolare, onde da molti, e dallo stesso Beato venne detto* il Libro de' Teatini. *E in vero gli si dee questo titolo, imperciocchè egli è il latte de' nostri Novizj, il pane de' nostri professi applicati agli studi, alle confessioni, alle prediche, alla conversione, e guida delle anime, ed anche la dolce, e soave ambrosia dei nostri contemplativi. Da questo Libretto succiò il latte, ed il nudrimento sostanzioso di ogni soavità di spirito, questo Santissimo Prelato, Lo chiamò il suo caro, il suo diletto; il portò di continuo per diciotto anni nella sacchetta, ne leggeva un Capitolo, e qualche particella ognidì, e lo anteponeva a quanti ricorreano al suo parere. Questo grande affetto ci ha obbligati sempre a celebrare, e riverire il suo nome; ed ora che la Santità di N. S. Alessandro VII. con sue lettere Apostoliche date a 28. Dicembre dell' anno 1661 gli ha conceduto il culto, e titolo di Beato, dobbiamo noi più di tutti infervorarci verso di Lui. Massimamente che essendo andato uno de' nostri a' piedi di N. S. con alcune opere dedicategli, la Santità sua mandò a dirmi la obbligazione, che la Religione nostra professa al B. Francesco, e che lo deve stimare, e vene-*

pietatis spiritum ab Eorum Pugnæ Spiritualis eximio Libro delibasset. Quæ omnia Theatinorum memoriæ documentis certissimis demandata sunt, præsertim in (*a*) Monumentis Silvestrinæ domus de Urbe, & (*b*) Nuncupatoria Caroli

venerare da Figlio per aver bevuto lo spirito del suddetto nostro Libretto. Il che poi con molta espressione mi ha replicato, essendo andato io a bacciarle i santissimi piedi; onde debbono le PP. e RR. Vostre il tutto eseguire, non tanto per mio ordine, quanto per lo comandamento di Nostro Signore.

(*a*) 21. *Luglio* 1657. *andò il P. D. Tommaso del Bene a' piedi di Sua Santità... con questa occasione gli parlò il Pontefice con molta stima della Religione, e del Combattimento Spirituale del P. D. Lorenzo Scupoli, dicendo, che da questo avea pigliato Monsign. di Sales buona parte di quanto avea scritto.*

(*b*) *Aforismi del divino amore cavati dalle Opere di S. Francesco di Sales*, e dedicati alla Santità di Alessandro VII. dal P. D. Carlo de' Tommasi C. R. Teatino. Roma 1665. *Beatissimo Padre... Prostrato umilmente a' piedi di V. S. col devotamente bacciarli, la supplico a volere ricevere questo picciolo donativo per un' atto d' ubbidienza al comando, che V. S. mandò per me stesso al mio Preposito Generale, e a tutti li nostri, acciocchè volessimo amare, e venerare il B. Francesco quasi Figlio della nostra Religione, per l' affetto, che le portò, particolarmente al nostro Combattimento Spirituale, ch' egli chiamava il Libro de' Teatini.*

Caroli Tomasii ad Alexandrum VII. Pontificem Maximum.

Quam supremi Parentis sententiam nonnulli S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis firmarunt; quorum primus Ulderícus *della Carpegna*, Pontificius in Urbe Vicarius, qui, cum in Publico Prælatorum cœtu, pro Salesii cultu suffragium ferret, hæc pronunciavit (*a*): *Heroicus plane Vir Franciscus de Sales, licet singulis virtutibus, tamquam si una tantum emineret, afflulserit; in zelo tamen animarum super omnes fuisse videtur eximius..... ideoque mirum non est gestasse in pera, ut ipse asseruit, decem & octo annis assiduis Librum vere aureum, cui titulus Pugna Spiritualis Laurentii Scupoli.* Alter Julius fuit Mazzarinus, (*b*) penes quem Gallicarum rerum summa, qui elegantissimis formis in Regia Typographia Parisiis Pugnam Spiritualem *Laurentii Scupoli* nomine insignem, prodire jussit, nitidissima servi Dei effigie etiam adjecta. Postremus (*c*) Antonius de Noailes celeberrimus Pari-

(*a*) Ex Actis Canonizationis Romæ editis an. 1666. pag. 147.

(*b*) In Editione Parisiensi 1660.

(*c*) Datum Parisiis 170..

Parisiensium Antistes, qui in Edicto (*a*) Cabilonensi in Urbe contra Quietistarum venenum producto, *Pugnæ Spiritualis Laurentii Scupoli* Lectionem tamquam salutare antidotum proposuit.

Huc accedunt duo magni nominis Antistites, Rodericus nempe de Harlai Loderensis Episcopus; & Justus Fontanini Præsul Ancyrensis (*b*), qui cum pretiosum Pugnæ Spiritualis Librum inter selectiores Italicæ eloquentiæ accuratissima Critice ennumerasset, ac sedulo, quæ de Auctore tractarentur, considerasset, pronunciare non dubitavit, illum *Laurentio Scupolo* omnino esse tribuendum: *Il P. Scupoli morì in Napoli, dove si conserva l'Originale del suo Combattimento Spirituale per isbaglio attribuito... nel quale errore però non caddero gli Autori della Biblioteca de' Scrittori Gesuiti meglio informati degl altri*. Cum inter Hispanos Versio, & Editio Matritensis Pugnæ Spiritualis a Brunone de Solis Typographorum oscitantia aliquibus mendis deturpata fuisset, per supremæ

(*a*) In Approbatione Pugnæ Spiritualis juxta *P. D. Laurentii Scupoli exemplar* 1658.

(*b*) Nel Libro della Eloquenza Italiana, Vezia 1737. pag. 187.

supremæ Inquisitionis Viros emendata hac declaratione apparuit (*a*): *Padre D. Lorenzo Scupoli en su venerando Libro, Combatte Espiritual, con gran provecho de las almas, que tratan de virtud y perfeccion.....*

His præclarissimis Sacra Dignitate Viris Regulares aliqui se immiscere non verentur, qui *Laurentium Pugnæ* Spiritualis Auctorem conclamarunt. Non Adeodatus Niersesovicktz Benedictinus Polonus, Jeroslaviæ Pœnitentiarius, ac (*b*) sui ordinis Sanctimonialium a confessionibus, qui *Laurentium Scupoli* ab insidiosa sui Operis usurpatione defendit: *Di quest' Opera fu Auttore il P. D. Lorenzo Scupoli Religioso di S. Gaetano; ma perchè l' Autore di questo Libro per la grande umiltà &c.* Non Carolus Morotius (*c*), qui in sui Carthusianorum Ordinis Theatro Chronologico Sigismundi a S. Bernardo Pedemontani studiorum vigilias referens, his usus est verbis: *Ab eo emanavit Pugna, seu con-*

(*a*) In Indice Libror. Prohib. pag. 2. Class. 2. Litt. L.

(*b*) In Editione Jeroslaviæ 1683. in Præfatione.

(*c*) Taurini 1683. pag. 107.

conflictus Spiritualis P. D. Laurentii Scupoli e Theatina Familia *præstans in paucis Libellus*: quem sequutus est ex eodem ordine Bruno de Solis, (*a*) qui Pugnam Spiritualem ex Lusitano Idiomate in Castellanum transtulit hoc titulo: *Combate Espiritual compuesto por el P. D. Lorenzo Escupoli de la Orden de S. Cayetano*: (*b*) Non Laurentius Bertrand ex sacro, sapientissimoque Prædicatorum ordine, qui de Francisco Salesio sic scripsit: *Adiecit suis quoque Rectoribus immissum cælitus certaminis spiritualis Libellum*, Theatinis Auctoribus, *eoque usus sicut Alexander Iliade, & Armamentario.* Non Thimotheus de Raynier Gallus (*c*), ex piissima Minimorum Familia, qui cum Pugnam Spiritualem ad exercitiorum normam per Hebdomadæ dies methodice distribuisset, opus suum hac fronte distinxit *Le Combate Spirituel du R. P.* Lorenz Scupoli *de la Congregation de RR. Peres dits vulgairement* Theatins *reduit en*

exer.

(*a*) In Edit. Matritensi 1671.

[*b*] In cynosura Mysticæ navigationis S. F. Salei. Lug. 1667. ind 2. p. 37.

[*c*] Ex quarta Editione Parisiens, 1689.

exercices. Non Cajetanus a Bergomo (*a*) e Capuccinorum Instituto Scriptor doctissimus: non Franciscus Marinoni (*b*) inter Clericos Regulares, quos Barnabitas appellant, Novitiorum Magister piissimus: non denique Thomas Sanchez (*c*) Petrus Ortiz de Momada (*d*) inclitæ Societatis Jesu asceticis in rebus peritissimi, qui omnes *Laurentium Scupoli* Pugnæ Spiritualis Auctorem publicis monumentis efferre non dubitarunt.

Huic Regularium Virorum agmini accedunt, inter sæculares, Scriptores clarissimi, qui sententiæ nostræ patronos se ostendunt, e quibus, ut cæteris præstet viam, Cajetanum Volpi, Sacerdotem omnigena eruditione ornatum, seligimus (*e*). Hic cum Cominianæ Patavina in Urbe emendatissimæ laudati Operis Editioni præesset, & quampluriurm variarum Impressionum collectione illustrasset, hæc in re nostra pretiosa verba expressit: *Non sia poi chi si*

mara-

[*a*] In opere la Virtù della Fede pratticata da Maria c. IV.

[*b*] Avvertimenti alla Penitenza p. 2. avvert. 7.

[*c*] Loco suprac.

(*d*) Ibid.

(*e*) Edit. Pugn. Spirit. 1724. in Præf.

maravigli aver noi francamente attribuita questa Opera al P. D. Lorenzo Scupoli *Cherico Regolare Teatino, benchè alcuni l' abbiano creduta, o voluta far credere, parto di altri soggetti raguardevoli per bontà, e per dottrina: perchè a noi sommamente dispiace un certo Pirronismo proprio del corrente secolo, col quale da molti si vogliono porre in dubbio, e in quistione le cose più certe, e più stabilite, e stimiamo debito nostro l' attenerci alla costantissima Tradizione, ed agli illustri testimonj, e maggiori di ogni eccezione, che il detto P.* Scupoli *fanno Autore del Combattimento Spirituale, nulla badando a poche persone, che amano di rendersi celebri a forza di contradire, ed appoggiano le loro singolari opinioni a' debolissimi fondamenti.* Tam splendida itaque face ad recensendos alios, nonnullis omissis, qui in eamdem sententiam libentissime devenere, progredimur. Hujusmodi sunt: Vincentius Placius, cujus præclarissimum studium fuit, ut veri, germanique Auctores a falsis, supposi-tisque secernerentur, & in Theatro Anonymorum, & Pseudonymorum hæc scripsit (*a*): *Pugnæ Spiritualis Liber, Italice*

(*a*) Amburgi 1708. c. V.

talice primo scriptus, & *deinceps in varias linguas translatus non memorato ejus Auctore.* Laurentio Scupoli, *Venetiis primum titulo servi Dei, deinde alibi prodiit, tandem, ipso mortuo, nomen una cum Libro, iterum impresso, aliquoties publicari cæpit.* Georgius Konnigio (*a*), enumeratis Castagnizæ & Galiardi Operibus, *Laurentium Scupoli* Pugnæ Spiritualis Auctorem refert. Johannes Baptista Thiers Doctor Sorbonicus (*b*): *Laurentium Scupoli pour veritable Auteur du Livre du Combate Espirituel recenset.* Nicolaus Topi (*c*) in Additionibus ad Nicodemum Bibliothecæ Neapolitanæ collectorem hæc refert: *Lorenzo Scupoli compose quel divoto, ed utile Libretto, il Combattimento Spirituale; ma non è da intralasciarsi, che è stato anche stampáto in Parigi nella Stamperia Reale in foglio; il che è a gloria dell' Auttore, e sua Patria, perchè non molti Libri scritti in Lingua Italiana hanno avuto questo onore.* Dominicus de Angelis Lupiensis

(*a*) Bibliotheca Vetus & nova Aldtorphi 1678 V. Scupoli.

(*b*) In Tractatu de superstitionibus Gallice scripto Tom. II. Lib. III. c. 811.

(*c*) In Biblioth. Neap. lit. S pag. 195.

fis Sacerdos (a), Orontii Philomarini ex Clericis Regularibus Gallipolenfis Antiftitis in fpiritualibus Vicarius, Illuftrium Salentinorum Vitam accuratiffime defcribens, *Laurentii Scupoli* Facinora, & Iconem protulit, plura de ejufdem Spirituali Pugna commemorans. Hieronymus Franzoni (b) Januenfis, nobilis æque ac pius Sacerdos: Silvefter Puerau (c), qui Pugnam Spiritualem *Laurentii Scupoli* Cantabro Idiomate vertit. Anonymus dierum novemdialium Venetiis editor (d), qui fæpe *Scupoli Theatini* doctrina ufus fuit: Anonymi duo (e), qui diverfo tempore, diverfaque methodo Librum eodem titulo infcriptum edidere, in eoque, inter alia Illuftrium Afceticorum opera, *Pugnam Spiritualem Laurentii Scupoli* enucleatam, compendioque reddi-
F tam

[a) Memoria de' Salentini illuftri Nap.1713 p. I. p. 1.

(b) In Lib. Antidoto della frequente Comunione Rom. 1732. num. 12. pag. 590.

(c) Ed. Parifiis 1658. & 1665. femel atque iterum.

[d] Pag. 56. & 90. vide apud Maggium l. c. c. 111.

(e) Primus Camaldulenfis Eremita Ed. Patav. 1670. alter Venet. 1680.

tam, inferuere. Ludovicus Antonius Muratori (*a*) Italiæ splendor, cujus eruditio summa, cujus auctoritas Litterariis in rebus maxima, e cujus calamo nihil inconsideratum excidit, Pugnæ Spiritualis Librum, quem pestilentiæ tempore legendum proponit, sine suo Auctore *Laurentio Scupoli* ire non permisit. Hujus sententiæ tandem propugnatores fuisse Ephemeridum Litteratorum Venetiis editarum Auctores, aperte colligimus (*b*). Hi diligentissimi Viri, cum ex Trevoltianorum collectione in dubitationem aliquam de genuino Pugnæ Spiritualis Auctore se trahi passi fuissent, novo de re hac sermone inito, sinceriorem animi sensum his verbis aperuere: *Frutto dell' assidua meditazione praticata dal P.* Scupoli *nelle cose Celesti, fu la utilissima Opera del Combattimento Spirituale, alla quale per umiltà non volle porre innanzi il suo nome; onde, benchè più volte ristampata, solamente gran tempo dopo la sua morte si seppe, che egli ne era l' Autore, e*

quei,

[*a*] Li tre Governi in tempo della Peste Lib. III. Cap, VIII. pag. 304. Ed. Med. 1729.

[*b*] Tom. XVII. art. XV. Tom. XX. art. IX. Tom. XXXVI. art. XV.

quei, che ne facevano menzione, il nominavano come opera de' Padri Teatini. *Sappiamo bene, che l' onor di aver composta quest' opera è stato contrastato a questo buon Religioso; ma difficilmente resterà persuaso in contrario chi leggerà attentamente le Apologie:* & in alio Articulo: *Sarebbe molto da desiderarsi, che nella Cominiana Edizione del* 1724. *si fosse aggiunto lo esame Apologetico della Edizione di Parma, in cui si convince ad evidenza, che il P.* Scupoli *è stato il vero Autore del Combattimento Spirituale.*

Quarum Apologiarum Scriptores hìc adducere opportunum satis existimamus, quia, cum rem ad trutinam perdiligenter revocassent, indubiam sententiam nostram maxime ostendunt. Primus igitur, qui in *Scupoli* defensionem in arenam descendit, Olympius fuit Masotti Veronensis (*a*), qui, cum eximio cultu hoc opus prosequeretur, conspiciens Pugnam Spiritualem Typographorum incuria errantem, mendisque squallentem, eam Apologetica Præfatione munitam emendavit, perpolivit, Auctori suo restituit, & Gallice, Latineque versam Annæ Austria-

(*a*) Parisiis 1658. & 1664.

cæ Galliarum Reginæ, Henricæ Adelaidi Bojorum Principi, atque Electrici, nec non amplissimo Parisiorum Antistiti, repetitis Editionibus nuncupatam, protulit; adeo ut in Gallia nihil solennius apud asceticos Magistros Spirituali *Laurentii Scupoli* Pugna haberetur. Alter Franciscus Maria Maggio (*a*) Panormitanus in Novemdialibus Cajetani Thienæi Neapoli habitis sermonem perspicue evincentem pro *Laurentio Scupoli* instituit, ac evulgavit. Tertius sit Alexius du Buc (*b*) Parisiensis, qui primum in Gallia *Scupoli* Opus erudita satis Dissertatione consociavit, quam deinceps Romæ, Controversiarum in Sapientiæ Gymnasio Professor, Italicam fecit, ac Buglionio S. R. E. Cardinali dicavit. Novis tamen insurgentibus hostibus, quia uno avulso, non defuit alter, non solum Franciscus Barattieri (*c*) Placentinus, Parmensi in Editione, dissimulato nomine, tanto ardore *Scupolum* propugnandum suscepit, ut laudatæ Venetorum Ephemerides profligatos omnino adversarios dixe-

(*a*) Sermone XII. n. X. Napoli 1672.
(*b*) Edit. Paris 1614. & 1617.
(*c*) Parmæ 1701.

xerint; verumetiam Emmanuel Grignon, Yayme Elpidii *(a)* assumpto nomine, Hispanus, Castellano Idiomate, contra Argaiz potissimum, patriosque usurpatores, intrepide decertavit: Vir, cujus eruditio, ac diligentia summa, ipsius nempe ratione fit, ut evidentissime quæcumque opponi possint diluantur. Postremo Franciscus Antonius Cavalcanti, Theatinorum olim moderator *(b)* supremus, & in præsentiarum Archiepiscopus Cosentinus, cum intellexisset hominem quemdam Sycophantis more, e sacro suggestu, coram frequenti populo, in *Scupolum* semel atque iterum debaccatum fuisse, perpolitam suscepit Apologiam, quam Typis Romanis evulgavit: In qua tamen, si aliquid omisit, sive in recensendis Editionibus, sive in annorum serie computanda, sicut & cæteris accidit, legentes admonitos volumus, hoc eis evenisse, quia non omnes Editiones, quas incredibili diligentia undique collectas, nobis conspicere datum est, e quibus tot firmiora documenta delibavimus, ad ejus, aliorumque manus devenere.

F 3 Ideo-

(a) Matriti.
(b) Romæ 1738.

Ideoque hanc nostram ulterioribus argumentis ex tanta editionum, præcipue antiquiorum, copia, eductis locupletem adjungimus; Augustini auctoritate edocti cum simus, qui scripsit: (*a*) *expedit de eadem materia fieri multos Libros, quia non omnium scripta ad omnes perveniunt*.

Validius tamen ex usque modo adductis fundamentum a Procuratoribus variarum Editionum eruimus, & præcipue illarum, quæ, dum *Scupoli* adhuc luce fruebatur, prolatæ sunt, quos inter Sanctus Milani Mediolanensis Principem locum habet. Hic cum Pugnam Spiritualem, quatuor tantum elapsis a primæva sua origine annis, præcipuis in Italiæ Urbibus impressam, atque summo honore acceptam, conspexisset, Patriis primum, deinde Bergomensibus Typis sequenti declaratione munitam consignavit. (*b*) *Questa è opera di uno de' Padri Cherici Regolari detti Teatini.....* Secundò progreditur Henricus Bacco Neapolitanus, Auctoris maxime necessarius, qui per Tarquinium Longo, Neapoli Pugnam Spiritualem luci

(*a*) De Trinitate.
[*b*] Bergomi 1594. 12.

ci dedit, cui adiectam ejusdem ad Jesum Christum nuncupatoriam exhibuit, in qua Auctor, nomine celato, se ex Clericorum Regularium Theatinorum familia apertissimis verbis, quæ supra etiam retulimus, professus est: (a) *Quanto insegna questo Trattatello, tutto è vostro, Signore:.. Vostri sono i Soldati Spirituali, infra' quali siamo noi Cherici Regolari Teatini.* Tertio se prodidit Simeon Perlasca Bononiensis, qui pietatis studio inflammatus, ut proximorum saluti consuleret, Pugnam Spiritualem quam Joannes Baptista Bellagata (b) publici jam fecerat juris, tanto muneri aptissimam cum cognosceret, in eadem sua Patria per Rubeos iterum imprimendam curavit, atque piissimæ Moniali his conceptis sensibus dono misit: (c) *Questo Combattimento Spirituale di nuovo revisto, ed ampliato è stato in quello, che vi si desiderava dalla ultima mano dell' Auttore arricchito, il quale sebbene per sua modestia non si nomina, già si sa essere della Venerabile Congregazione de' Cherici Regolari Teatini assai chiari, e noti*

(a) Neapoli 1599. 1600. 1604.
(b) Bononiæ 1601.
(c) Bononiæ 1603.

noti al mondo. Quarto loco eadem declaratione, instante Lazaro Scorrigio *Scupoli* pariter perquam familiari, Joannes Baptista Garganus, & Angelus Nucius Pugnam Spiritualem Neapolitano prælo subjecere, novem antequam ad supera evolaret mensibus, sequenti titulo, atque nuncupatoria, Nobilibus Oratorii sub Sanctissimi Crucifixi Vexillo militantibus in eadem Divi Pauli Domo, ubi ipsemet *Laurentius* vivens adhuc morabatur (*a*), *Combattimento Spirituale composto da un Padre de' Cherici Regolari Teatini*. Nobili Signori. *Essendomi capitato nelle mani questo Combattimento Spirituale composto da un Padre de' Cherici Regolari Teatini, non istimo fuor di proposito ......* Idem habetur in editione per eosdem Typographos, eodem anno, eademque in Urbe, Lazaro eodem curante: *nuova aggiunta al Combattimento Spirituale composto dallo stesso Autore de' Cherici Regolari Teatini.* Hæc omnia, *Laurentio* adhuc inter mortales vitam trahente, peracta sunt, quæ sane cum a Theatinis præcipue in Patavina Bibliotheca, & alibi locorum; quibuscumque conspicienda libentissime exhi-

(*a*) Neap. 1610.

exhibeantur, inconcussæ veritatis ultro citroque abundans testimonium esse quis dubitet, quisque audeat denegare; nisi sit ex iis, de quibus Isidorus (*a*) Peleusiota, *qui sermonum artificio veritatem obnubunt, & nequiter occultant; ideo gravius peccant, quam ut iis ignosci queat*. Attamen ad uberiorem Editionum comprobationem illas denuo proferre non piget, quas Bononiæ, paucis elapsis ab ejus morte diebus, Simeon Perlasca (*b*) & Carolus Manolesso (*b*) imprimendas curarunt, quorum primus Nomen *Scupoli* adjecit in fronte: *Combattimento Spirituale di nuovo veduto, ed accresciuto dallo stesso Autore il P. D.* Lorenzo Scupoli *de' Cherici Regolari detti Teatini*; alter vero in Epistola Nuncupatoria Inclitæ Infanti a Sabaudia: *Fu ordinato questo Combattimento da un Eroe de' più illustri.... cioè dal R. P. D.* Lorenzo Scupoli *Cherico Regolare*. Quinque tantum a *Scupoli* fato intercesserant anni, cum Ambrosius Maja S. T. Doctor Panormitanus (*c*), qui *Scupolum* Neapoli

 intime.

[*a*] Bononiæ per Barth. Cochi XIV. Kal. Jan. 1610.

(*b*) Ibid. per eumdem Prid. Kal. Jan. ejusdem anni.

[*c*] Anno 1615.

intime noverat, alteram Panormi, Typis Orlandi, Editionem curavit, cujus primam partem Cannizario Siciliæ Præsidi, secundam Ferrerio Mediolanensi Senatori, & in eodem Trinacriæ Regno Rationum Magistro dicatas voluit hisce verbis: *Sebbene l' Autore, ch' è il P. D.* Lorenzo Scupoli *de' Cherici Regolari, nelle prime Impressioni per sua umiltà volle far' escire questa opera senza il suo nome; ha voluto nondimeno il Signore moltiplicargli dopo morte quell' onore, che egli fuggì..* . Eodem anno Andreas Piscara Theatini Ordinis Generalis Præpositus (a), qui *Laurentii* Confessiones excipiebat, atque ipsi ad æternitatem petenti extrema munera præstitit, Vir celeberrimus, cujus doctrinam eruditissimi Libri, cujus pietatem Acta pro solemni Apotheosi suscepta testantur, cum Pugnam Spiritualem pene vagantem cerneret, & insidias ei parari sensisset, illam Auctori suo Typis Romanis restituit. Quod præ cæteris accepimus, non solum a Francisco Boluitto (b), qui per ea tempora Syllexim Scriptorum Clericorum Regularium cum contexisset,

[a] Anno 1615.
[b] V. Laurentius.

texiſſet, ſic opus recenſuit: *Laurentius Scupoli Hydruntinus, ex clarioribus noſtri ævi Viris in ſpirituum directione, emiſit utilem Tractatum, quem appellavit Pugnam Spiritualem ſuppreſſo nomine Auctoris humanæ laudis gloriam contemnentis: ſed cum aliqui, Auctoris incertitudine ſecuri, eum ſibi vindicari cœpiſſent; accedente Superiorum juſſu, Liber Auctorem ſuum propalavit*: Verum etiam a Joſepho Silos (*a*), qui, tum in ſecunda Hiſtoriarum parte, tum in Catalogo Scriptorum hiſce conceptis verbis *Laurentii Scupoli*, cum ſuo Opere, Nomen ita illuſtravit: *In divinorum eruditione, ac uſu quantum eſſet verſatus, Libellus ille aſceticus, cui titulus: Pugna Spiritualis, luculenter oſtendit..... Rerum divinarum, atque animarum experientiſſimus, & conſultiſſimus auream Opellam compoſuit, cui titulus: Pugna Spiritualis.*

Cum itaque Clericorum Regularium, qui Theatini, enumerationem, ut ſua auctoritate cauſſam noſtram, & ipſi patrocinentur, aggreſſi ſimus, quid dicendum erit, cum eorum Congrega-

(*a*) In II. Hiſtoriarum Cl. Regul. P. Romæ 1655. & Panormi 1566. in III Hiſt. Parte lib. XII.

tio tota in suum Auctorem propugnandum constantissime perseveraverit? Præter Andream Avellinum (*a*), a quo in ipsis Religiosæ Vitæ incunabulis spiritum pietatis hauserat, & qui in suis operibus eadem Spiritus Sancti effusione, qua Spiritualis Pugna, cælesti dictante Magistro, imbuta est, non semel Christianæ Perfectionis, quam apprime *Laurentius* pertractaverat, sententias, immo verba ipsa exscripsit, quasi fuerit discipulus super Magistrum; tanto ipsum honore necnon amore dignum existimavit; præter, inquam, Avellinum, & Castaldum, qui ejus, ut supra innuvimus, a Confessionibus fuit, quamplures Theatinos Scriptores, qui cum *Laurentio* sæpissime versati sunt, qui quotidiano sermone, & consuetudine conjuncti illum virtutibus suis Pugnæ Spiritualis præcepta perficientem, atque orationibus documenta meditantem, & suos codices scribentem viderunt, in testimonium adducimus. His profecto non est cur fides denegari possit, dum suisipsimet oculis testes fuere.

[*a*] Passim in ejus Operibus. Maggio Serm. cit: Neap. 1670.

fuere. *Si enim* (*a*), inquit Chryſoſtomus de Luca Apoſtolorum Actuum ſcriptore: *Fides data eſt ſcribenti, quæ audierat, quanto magis reputanda eſt aſſertio illius, qui non ab aliis audita, ſed quæ ipſe ſimul vidit, & audivit, ſcripſit*. Ex iis aliqui fuere *Scupoli* contemporanei, qui ſuam in eadem D. Pauli Majoris domo moram duxere, ſecumque de ſui operis fructu perquamaximo gratulabantur; nempe Franciſcus Faſano Neapolitanus (*b*), qui in ſuo opere *della Riforma del Criſtiano*, de Pugna Spirituali ſermonem inſtituens, ſic ſcripſit: *E' opera di un Teatino, il quale per umiltà volle tacere il ſuo nome*: Michael Muſco Tarentinus (*c*), qui in opere, quod inſcripſit: *Il Regolare, o ſia della Perfezione Religioſa*, ſic Religioſis inſtituendis ſugeſſit: *Per queſto fine ſarà molto eſpediente, che abbia in Cella il Combattimento Spirituale del noſtro Padre Scupoli*. Stephanus Sanctini

[*a*) Homil. I. in Act. Apoſtol. εἰ ὁ ἤκουσεν ἀξιόπιστος γενόμενος γράψαι, καὶ πιστευθεὶς, πολλῷ μᾶλλον ὁ ταῦτα συνθεὶς ἃ μὴ παρ᾽ ἑτέρων παρείληφεν, ἀλλ᾽ εἶδε, καὶ ἤκουσε πιστευθῆναι δίκαιος ἂν ἦν.

[*b*) p. p. cap. X. p. 181.

(*c*) pag. 2. lib. 4. cap. 32. pag. 316.

ni (*a*) in Instructione Novitiorum, quem ex Generalium Comitiorum sanctione Latine scripsit, quamque Carolus de Palma Italice vertit, ac edidit, inter Libros legendos proposuit: *Il Combattimento Spirituale del P. Scupoli*. Ignatius Poggiolo (*b*), Johannes Baptista Caraccioli senior (*c*), Johannes Baptista Castaldo (*d*), qui Pugnam Spiritualem ad animarum salutem procurandam ex ipsiusmet Auctoris manu accepere, & in operibus suis satis commendarunt. His & tresdecim *Scupoli* coetanei recenseri pariter possunt, qui in calce Editionis Venetæ 1609 jurejurando *Laurentium* Pugnæ Spiritualis Auctorem se propugnaturos professi sunt, quorum Authographa protestatio in Sylvestrino Romæ Tabulario apud Theatinos asservatur, & nos oculis nostris perspeximus. His etiam adnectere juvat nonnullos ex eodem Ordine, Ecclesia-

rum

(*a*) Ex Decret. Romæ Ed. 1610. & 1621. Romæ 1615. & Ven. 1667. & 1703.

(*b*) In Opere La Fuga del Virtuoso Neapoli, 1667. in 2. & 3. parte.

[*c*] In tractatu de Virtutibus & Vitiis Romæ 1650.

(*d*) Esercizj di virtù, a F. Placido Battaglia ex Cler. Regul.

rum Antiſtites, nonnulloſque Generales Præpoſitos, qui pro *Scupolo* ſententiam ferre non recuſarunt, nempe Camillum Sanſeverino Salaminenſem (*a*), Carolum de Palma Puteolanum (*b*) Johannem Franciſcum Carafa Catanenſem (*c*), & Johannem Baptiſta da Dieci Brugnatenſem [*d*], & inter ſecundos Franciſcum Carafa (*e*), Auguſtinum Bozzomo [*f*], Petrum Paulum Nobilioni [*g*], & Thomam Serſale [*h*], Franciſcum Antonium Cavalcanti [*i*] Archie.

(*a*) Hic Pugnam Spiritualem in Luſitanum vertit, ac Marchioni Sandienſi dicavit, Pariſiis 1666.

[*b*) Pugnam Spiritualem a pluribus, queis ſcatebat in Editionum varietate, erroribus perpolivit, ac emendatiſſimam in æquas partes diſtribuit.

[*c*] Verſionem Caſtellanam a Brunone de Solis confectam Mariannæ Auſtriacæ Hiſpaniarum Reginæ nuncupavit Matriti 1672.

[*d*) In Opere *Zelo dell' Anime ad Innocenzio* XI Januæ 1665.

(*e*) Editionem expurgari juſſit, nuncupavitque Alexandro VII. 1657.

(*f*] Epiſt. ſcripſit encyclicas, ut ſupra.

(*g*) Vid. Mag. ſerm. di S. Gaetano XII. n. 10.

(*h*) In opere, Eſercizj per le Monache Neap. 1690. in Præf.

[*i*) Editioni Romanæ 1736. Vindicias appoſuit.

chiepiſcopum itidem Conſentinum. Denique Carolus Tommaſi (a), Hieronymus Meazza (b), Johannes Antonius Maſſimi (c), Jordanus Vitteleſchi (d), Laurentius Felini (e), Tomas Bequeman (f), Johannes Andreas Capra [g], Alexander Salaroli (h), aliique quamplurimi, qui rem aſceticam pertractarunt, ejus documentis imbuti, ipſum tamquam Magiſtrum venerantes, tanti operis Auctorem ubique locorum confeſſi ſunt, quorum exemplum ſequuta eſt, *gaudetque viris concurrere Virgo*, Ven. D. Urſula Benincaſa Neapolitana, Virginum Theatinarum Congregationis, & Æremi Mater Inclyta, de cujus ſanctitate, ac meritis ſedulo examen apud ſacram Romanam Rotam peragitur, quæ dum Regulam ſuis

præ-

(a) Afforiſmi di S. Franceſco di Sales.
(b] Ore delle Monache bene ſpeſe, & alibi in pluribus operibus.
[c) Præfationem addidit Editioni Rom. 1674.
(d] Præfationem ibid. Ed. Rom. 1683.
(e) Editionem Rom. *Scupoli* Mariannæ Noronnæ de Avero dicavit.
[f) Pugnam Spiritualem Luſitane edidit. Uliſſiponæ 1707.
(g) In Opere, Lume dell'Anima per gli Eſercizj delle Religioſe Teatine.
(h] In Edit. Rom. 1726. Bened. XIII.

præscriberet, Pugnam Spiritualem *Laurentii Scupoli* legendam, perlegendamque demandavit. Tanta ergo pervicacitas Campanarum (*a*) custodis, nugarumque sectatoris Argaiz Librarios illos Lugdunenses ac Parisiensem impulit, ut nobis in homines, vel nimium imprudentes, vel veritatis lumen respuentes, necesse fuerit amplissimos Viros ad tuendam *Scupoli* possessionem in societatem Operis vocare, ne, a Divo (*b*) Gregorio admoniti, *consentire videamur erranti, si ad resecanda, quæ corrigi debent, non occuramus.*

Quæ omnia cum absoluta sint, restat, ut ipsummet *Laurentium Scupoli* in judicium adducamus, qui testimonium de se ipso reddat, & pro domo sua caussam aggrediatur. Ipse enim, licet summa, qua pollebat, animi demissione, semetipsum sub modio absconderit, neque amicis efflagitantibus, neque consociis cupientibus, neque molestissime urgentibes iis, quos Pugnæ Spiritualis notitia tenebat, numquam adductus sit, ut super candelabrum coram hominibus

(*a*] Vulgo *Campanaro*.
(*b*) Can. 5. distinc. 80. vel potius in epis. ad Syagrium.

bus elucesseret, tamen cum Congregationi suæ morem gereret, ejusque honoribus congauderet, nuncupatoriam Jesu Christo, qua se, *Theatinosque* suos devovebat, ita manifeste exhibuit, ut, nisi probatissimum, atque sanctissime institutum Virum de turpi mendacio arguere velimus, illum eximii hujusce Libri Auctorem fuisse apertissime profiteri debeamus. Laudatæ Nuncupatoriæ aliqua verba si repetamus ex Editionibus Neapolitanis, Bononiensibus, Romana, Placentinis, Papiensi, cæterisque, quæ adhuc in terris agente *Scupolo*, immo ipsomet conscio, & approbante, emissæ sunt, Legentium veniam speramus, quia verba illius, qui testimonium perhibet de se ipso, tanti ponderis sunt, ut non solum opposita Argaiz, atque Editimi figmenta enervent, evertant, ac prorsus eliminent, verum etiam tantorum Virorum firmiorem reddant, atque inconcussam Auctoritatem. Sic enim inter cætera scripsit: *Vostro, Signore, è da tutte le parti questo Combattimento, perche Vostra è la Dottrina, e Vostri sono tutti li Soldati Spirituali, tra' quali siamo noi Cherici Regolari Teatini, onde tutti chini*

a'

a' Piedi della Vostra Maestà vi preghiamo, che accettiate questo Combattimento... Ulterius in Isagoge, quam Neapolitanis memoratis Editionibus ipse præposuit, animi sui sensum sic expresse exhibuit: *Al Lettore. Ritrovandomi io, Lettor divoto, in certe mie carticelle alcune Regole, e punti, perchè l'Uomo dal Vizio si dia alla Virtù, e dalle Creature a Dio, le ho raccolte per me, e per te, a cui sono egualmente debitore; sicche ti prego le ricevi come Giunta* al mio Combattimento Spirituale, *esortandoti in Cristo Gesù, a cui, come a nostro Capitano anche questa Giunta si dedica, che tu la voglia esercitare, collo intelletto, meditandola attentamente e spesso, e colla volontà mettendola in effetto nelle occasioni, la quali dalla mattina alla sera, e dalla sera alla mattina mai non mancano. Iddio sia sempre teco, guidando ogni tuo pensiero, parola, ed opera, perche facci quanto a Lui piace, ed a fine di piacergli, prega per me......* quod alibi jam expresserat in Editione Neapolitana, per Henricum Bacco, ipsius familiarem procurata: *Sono molti anni, che io scrissi l' Aggiunta al Combattimento Spirituale, che ora è stampato in Cremona,*

mona, ed in Bologna; ma perche è stata alterata in diversi modi, che a me non piacciono, e vi sono di più poste alcune cose, che non sono secondo il mio proponimento, che ho avuto sempre nell'ordinare questo Combattimento, perciò mi sono creduto in debito di espurgarlo, e darlo poi in mano di altri, perchè se ne faccia quel tanto, che lor parerà doverſene fare. Ricevilo dunque, Lettore, come Giunta al mio Combattimento Spirituale.

Quæ omnia apposite hoc in loco collegimus, ac repetenda duximus, quia, cum a *Scupolo* prolata sint, clare, & luculenter evincunt, ex ipsius testimonio, Illum Pugnæ Spiritualis Auctorem fuisse. Et nos libenter Primæ Dissertationis Parti finem imponimus cum Cassiodoro qui (*a*) asserit, *quod frustra ad censuram exponitur illud, cui tantis titulis approbatio debetur.*

Quapropter si tanti Operis honorem, Hieronymus senior Comes de Porcia volens ipse dimisit: Si Castagniza temporum ratione, quia posteriora nostris scripta, adhuc imperfecta, moriens reliquit, evincitur: si Achillem Galiardi infirmiori nimium sepulchrorum

(*a*) Cassiod. lib. II. epist.

rum custodis voce Lugdunenses Librarii e regione umbræ mortis excitarunt; jure ideoque ac merito redarguuntur de putida fabella, (quæ vere fabella est, non illa, quam Castaldo, initi fœderis, Pontificiorumque Decretorum violato jure, Sanctorum (a) Collectores turpissime Theatinis imposuere), si denique omnes, qui sua garrulitate contrariam caussam, prostratam licet, ac penitus profligatam, patrocinari student, quasi incautos, aut nimium voluntati suæ indulgentes, tantis evincentibus rationibus, atque sapientiorum hominum consensu rejectos conspicimus, quis audeat imposterum *Laurentium Scupoli*, suum etiam propugnantem Opus, de sua possessione deturbare? Si vero Nomen suum jamdiu celavit, quis non intelliget, id ei accidisse, quod de Raphaele Archangelo sapienter factum Augustinus (b) adnotavit, *cujus cum primum* (in Tobiæ consuetudine) *celatum nomen fuisset, servata prius fuit Dignitas Nominis, ut postremo magnitudo clarescceret Dignitatis.*

Quæ

(a) Acta SS. Julii Prid. Kal. Augusti.
(b) Augustinus, sive Pseudo - Augustinus Tom. X. serm. LXV, pag. 694.



QUæ quoniam tanta claritate refulgent, malum omen, quod Brignonis (*a*) Jesuitæ deflentem animum miseranter tenuit, hujusce scilicet *Libri in æternum Auctorem ignotum futurum* sublatum est; *patefiunt enim*, loquamur festivis Chrysostomi verbis, *patefiunt occulta, nec amplius vivimus in tenebris, & quod abscondebant, compertum est*: Ideoque ad alteram, quam proposuimus, Dissertationis Partem contendimus, ad ejusdem nempe operis fructum, comprobationem, atque progressum per Universas terrarum Orbis Provincias, recensendum: *ut crescat in omnibus discendi ardor, quo major est nobilitas magistri*. Quo in dicendi limine tanta nos undique circumveniunt; ut illud nuperrime laudati Præsulis effatum in medium adducere possimus; *etiamsi*

(*a*) In Præfat. Gal. Version. Il En sera donc du Combat Spirituel comme de la Imitation de Jesus - Christ. on le lira eternellement, & on ne scaura jamais certaiment qui l' a composè.

tiamsi (*a*) *sexcenta ora*, *totidemque linguas babeamus*, *laudando tamen pares non erimus*. Quis enim Libelli hujusce, cujus pretium procul, & de ultimis finibus profecto est, dignitatem prosequi potest, qui, *licet parvus* (*b*) *sit in verbis*, *totam tamen sacram Scripturam comprebendit*, uberioremque sanctorum Patrum succum, & doctrinam, quod aliquando fortasse in nova editione elucescet, ita exhaurit; ut plurimi id considerantes, de Pugnæ Spiritualis Auctore id repetendum existiment, quod Xistus Senensis de Scholarum Magistro protulit, *Scupolum* (*c*) *brevitati*, *quæ obscuritatis mater esse solet*, *& comes individua*, *facilitatem*, *omni seclusa dificultate copulasse*, *& ordinis dispositione sententiarum perspicuitate*, *& verborum splendida claritate*, *scriptores longo post se intervallo reliquisse*. Quadere non immerito de celeberrimo *Laurentii* opere dici posse arbitramur, quod de XII. Tabularum Libello Romanus Orator pro.

(*a*] Homil. IL. encomium secundum in exordio.

(*b*) Jacob de Valen. in Ps. 18. Vers. 4. pag. 253. Edit. Venet. 1581.

(*c*) Biblioth. Sanct. lib. IV. lit. T. pag. 577. Ed. 1567.

professus est, *omnes (a) scilicet hic unus, & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate videtur superare*. Quæ quidem, si rem discutiendam penitus aggrediamur, quam multa pro tanto Auctore dicenda remanerent? Quid gloriosius, aut magnificentius est, quod *Scupolo* non sit tribuendum, cujus eximii Libri dignitatem augere, atque elucidare Viri doctissimi gestiunt? (b) *Quod si fluvius fontem ostendit, & fructus radicem*, ut Chrysostomus, Christi Doctrinam sequutus, ajebat, exundante profecto per hunc Librum Virtutis flumine, atque fructibus undique uberrimis collectis, quid de Auctore ipso argumentandum est? Quamobrem non est cur miremur Viros pietate, sapientia, dignitate clarissimos illum, summo honore prosequutos fuisse, & tot Orbis universi commendationes, tot populorum Provinciarumque laudes, tot denique Versiones, quas undique Italia profert, educit Gallia, Germania recudit, Belgium explicat, Hispaniæ denuntiant, producit Anglia, demonstrat Lusitania, Polonia, Armenia, Asia quoque, & ex

(a) De Orat. lib. primo n. 46.
(b) Homi. de B. Philogono.

ex Indis ipsis deducunt, præstantissimi Libri hujus fructu in æternum satiabitur terra, cujus memoria nunquam recedet, & nomen in generationibus laudabitur, honores, dignitatem, usumque concelebrasse. In quibus, cum nos deficiat oratio, satis erit cum Ambrosio fateri, (a) *Plus in eo opere esse, quod lectione probatur, quam quod sermone nostro possit laudari.*

Quoniam vero recensuri sumus editiones, numero quidem, atque varietate versionum admirabiles, quæ solum ad nostram notitiam pervenerunt (innumeræ sint enim necesse est, quæ nos fugiant), operæ pretium esset, ut prius de Scriptoribus, qui Pugnam Spiritualem summopere commendarunt, verba faceremus. Sed cum in altum Navim ducere, & laxare vela, opus sit immensæ eruditionis, atque laboris; (tanta est apud Rei Ascetica Magistros Libri hujus existimatio;) nobis sufficiet aliquos indicare, nec non ex indicatis nobiliores seligere, cæteros diligentiori Viro, vel tempori oppurtuniori relinquentes.

(a) Exameron lib. pr. cap. 19.

Primas inter illos jure ac merito tenet Franciscus Salesius, qui non in uno suorum operum loco in Pugnæ Spiritualis laudes trahi se passus est: & laudari a laudato Viro, optima laudum. (a) In Philothea enim eam legendam proponit *inter cæteros Libros, tum Sanctorum Patrum, tum celebriorum de Ascetica re scriptorum*. In Epistola sexta supra vigesimam Libri secundi Epistolarum, quas Nepos Aloysius de Sales in unum collegit, ad (b) Nobilem Viduam sic scripsit: *Liber methodi inserviendi Deo bonus, sed inordinatus, & plusquam deceat, difficilis est: alter autem Liber de Pugna Spirituali omnia, quæ & in alio sunt, clarius, & ordinatius includit*. Ad (c) Aliam: *Methodus inserviendi Deo; compendium Christianæ perfectionis, evangelica Margarita obscuriores sunt, quippe per Montium vertices peregrantur, diutius minime pertractandi sunt. Fac ut legas iterum, iterumque perlegas Pugnam Spiritualem. Hæc tibi in deliciis sit; valde enim clara est, atque ejusmodi, ut quæ præcipit, rite perfici possint*.

(a) P. 2. cap. 17.
(b) Lib. 2. Epist. 26.
( ) Lib. 2. Epist. 34.

possint. Perlege (a) Pugnam Spiritualem, præceptisque, quæ intersunt, aptissima enim sunt, diligenter attende. Equidem, (b) Filia mea, Pugna Spiritualis Magni momenti Liber est: hanc quindecim jam ab annis perula gesto, neque unquam, absque emolumento, manibus verso. Fac ut potissimum eam legas; hanc tibi commendo. Dilectissima (c) Filia, vigesimum octavum Pugnæ caput perlustra; hic enim meus Liber est, neque incassum lego. (d) Necesse est, ut semel in hebdomada nosmetipsos majori vi, majorique charitate, ac amore in Dei voluntate colenda, quam in cæteris non planioribus tantum, sed durioribus etiam exerceamus: Aliquid in Pugnæ Spiritualis Libello invenies, quam iterum tibi, iterumque commendo. Est quidem filia, hæc lectio alta; at Deus, pro quo hic studemus, est Altissimus.

Hæc, & alia quamplura, sunt existimationis insignia, quibus Præsul sanctissimus Spiritualem Pugnam, prosequebatur: majora tamen ex ejus familiari, assiduaque consuetudine collegit

(a) Lib. 2. Epist. 39.
(b) Lib. 2. Epist. 48.
(c) Lib. 4. Epist. 80.
(d) Lib. 5. Epist. 70.

Johannes Petrus de Camus, Vir, teste Garzia (a), e S. I., qui *Sancti Spiritus igne, suisque exemplis, atque scriptis totum Galliæ Regnum incendit, ac illustravit: Præsul vere magnus opere, atque sermone Salesio acceptissimus*, cujus aliqua ad rem nostram juvat seligere. *Beatus Pater Noster* (de Salesio (b) scribit) *suis omnibus Pugnam Spiritualem, utpote amabilem, usque facilem proponebat. Quo magis ejus lectionem itero, tanto magis, ceu in suo semine Beati Viri Spiritualem Doctrinam inesse intelligo. Non est quidem inficiandum, eos, qui in charitate, hujus Libri præcepta lustrabunt, absque aliis lectionibus, altum Pietatis, christianæque Perfectionis culmen consequuturos.*

(c) *Pugna Spiritualis, quæ jucundus Liber est, Veni mecum Patris nostri erat.*

(d) *De Libris summopere Pugnam Spiritualem commendabat, quia pretiosa res est, ut Alexandro Homerus.*

(e) *Tres Spirituales Libellos Ipse magni-*

pen-

[a] In Comp. Vit. S. F. de Sales in additione ad Flos sanctorum.

[b] In lib. Italice *lo Spirito di S. Francesco di Sales Part. 3. sect. 12.*

(c) Part. 5. sect. 2.

(d) Part. 9. sect. 20.

(e) Part. 7. sect. 7.

pendebat: Primus erat Pugna Spiritualis, de qua vos toties sum alloquutus, ea scilicet, quam maxime vobis commendavit, & studiosissime discipulis suis commendat, eis aperte denuntians, septendecim se annorum spatio in perula gestasse, quotidie aliquot capita legendo, majori semper de Cælo lumine consequuto.

(*a*) *Perspicuum est vobis, B. Patri nostro nullum peculiarem alium Librum, quam Pugnam Spiritualem, fuisse.*

(*b*) *Hic Aureus Liber* (de imitatione Christi) *omni laude major est. Non hunc tamen noster B. Antistes potissimum præferebat, sed Pugnam Spiritualem. Hæc illi dilecta, & in deliciis erat. Ille mihi sæpius duo de viginti hanc annos in perula contulisse, & quotidie, vel caput aliquod, vel paginam saltem legisse, testatus est. Et revera, qui diligenter attendat, facile intelliget, omnem illius Religiosi Viri Pietatem ex hoc Libello esse deductam.*

(*c*) *Quondam ab eo petii, quonam Spiritus Rectore duceretur. Ille e mantica Pugnam Spiritualem eduxit, & ait; ecce*

 hic

[*a*) Part. 9. sect. 21.
[*b*] Part. 3. sect. 12.
(*c*) Part. 14. sect. 15.

hic ille est, qui me, divina ope, viam juventutis edocet, quique in via Spirituali, ac interiori Magister est. Postquam hunc Librum, dum in Patavino Lycæo instruerer, quidam mihi Theatinus proposuit, Lectionem suasit, ejus opinionem sequutus optime me habui. Hic ab illustris Illius Congregationis Sancto Viro, suo dissimulato, & Theatinorum inscripto nomine, elucubratus est.

Alia hic quoque piissimus Antistes de perinsigni opere scripsit, sed ut cæteros recenseamus, ea prætermittere opportunum ducimus.

Carolus Augustus de Sales, Genevensis Episcopus, de Patruo ait, (*a*) *Pugnam Spiritualem tanquam de Cælo emissam epistolam assidue terebat manibus*, quod idem retulit Hiacyntus Gallizia, (*b*) qui Franciscum ejusdem Pugnæ *celeberrimum encomiastem* dixit.

Christophorus Giarda, Castrensis Episcopus in Vita Salesii, hæc (*c*) scripsit; *cum forte ad ejus manus Aureus Liber advenerit, cui Titulus*, Pugna Spiritua-

(*a*) In vita B. Francisci de Sales lib. pr.
(*b*) In vita ejusdem Ven. edit. 1743. pag. 13.
(*c*) In vita edita Romæ 1648. ad Innocentium X. lib. pr. cap. 5.

ritualis, *a Divina Providentia se tanquam formidabili armamentario, contra omnia adversantia, munitum existimans, non orientis, ut Magnus Alexander Homeri Illiade, sed sui ipsius dominator ad suas cupiditates coercendas, ad hostium conatus evitandos, septemdecim annorum spatio eam circum gestavit*. Quo itidem sensu Johannes a S. Francisco de eodem sic ait, (*a*) *Parvum, sed eximium Theatinorum opus, Pugna Spiritualis, ad manus ejus pervenit, quod unum suscepit, & pro quocumque alio ad fortiter in vitia, ac rebelles passiones decertandum, ex quo, veluti ex ornato ac paratissimo navali omnia arma, quibus fortiter cupiditates profligaret, educebat.*

Aloysius de la Riviere Minimorum Sacerdos (*b*) *Pugnæ Spiritualis Liber, per Theatinos elucubratus, parvus reapse est, sed maxima existimatione habendus. Ille enim suavissimorum Vasculum odorum est, omnium Christianarum virtutum stricte effícta imago. Mysticæ Theologiæ Epitome, ac, ut in paucis conferam, omnia mira præcepta continet. Pius ergo noster Lector* (Salesius) *in hunc Librum serio*

(*a*) In vita edita 1624. lib. pr.
(*b*) In vita lib. pr. cap. pr.

operam suam contulit, & ardenter eximia præcepta, quæ perbelle protenduntur, exequutus est.

Jodocus Lorichio, Brisigaviensi in Accademia S. Theologiæ Professor, qui diem suum inter Carthusianos nigræ sylvæ piissime obiit, de hoc Opere in hæc verba suam protulit sententiam (*a*). *Inter sanctorum flosculorum collectores non infimo loco credendus est fuisse bujus Spiritualis Pugnæ primus Auctor, qui pio humilitatis studio suum nomen reticuit. Quippe in tractatu hoc perbrevi ordinatissime, ac perspicacissime complexus est omnia ad Spiritualis Vitæ optimam perfectionem parandam necessaria, quæ alii multis, & magnis libris vix assequuti sunt. Quantæ, ac prætiosæ divitiæ in hoc thesauro lateant, equidem verbis neque possum, neque debeo explicare.*

Religiosi Fulienses (vulgo Fogliantini), sive Cistercienses Reformati ad S. Honoratum Parisiis, hoc Prologo Gallicam Pugnæ Spiritualis Versionem ornarunt. (*b*) *Animæ felices, quæ tali Præsidio fortes effectæ, si legitime decertaveritis, non solum ab omni inimicorum læsione*

[*a*] Friburgi 1599. in Epist. nuncup. 1591.
[*b*] Parisiis 1594. in Præf.

stione evadetis immunes, sed de universa inferni ira triumphabitis. Restat; ut probe illis utamini: Cujus artis & gladiaturæ quampauci admodum, tum ex antiquioribus, tum ex recentioribus, libri predocent, optime in hoc præcepta traduntur tanta brevitate atque facilitate, ut nemo opportunius ministret; cum in hoc Libro omnium eorum præceptorum, quæ ad animas in spiritu exercendas sunt necessaria, essentia, medulla, compendium contineatur.

Justus Fontanini conceptum de eximio hoc opere judicium sic aperire non dubitavit. (a) *Seniori comiti de Porcia feliciter quidem evenit, qui primus omnium hanc, & utilitate, & existimatione, & decore Operam percelebrem publicavit. Sapiens Vir hunc Librum sibi cognitum satis ostendit, dum Monialibus in Divi Andreæ Venetiis exhibuit: nec virginibus illis congruentius munus offerre poterat.*

(a) Doctor Sorbonicus in Nuncupatoria ad Franciscum Salesium Parisiis: *Tractatum Pugnæ Spiritualis libenter te suscepturum putavi; omnia enim, quæ Mystica Theologia præcepta tradit, in eo admirari potes, simulque fructum tuæ Juventutis.*

 (a)

(a) Edit. Venet. pag. 687.
[b] Parisiis 1608. in Epist.

(a) Anonymus Parisiensis, qui Annæ Austriacæ Galliarum Reginæ Versionem suam dicavit, hæc pariter habet in nuncupatoria. *Opus eximium, & supra omnes, qui de Pietate peregerunt singulare. Præbeat se quisquam in hujus lectione attentum, & facile judicare poterit inter eximios & puriores fructus, quos in præsentiarum moralis Christiana produxerit, hunc Librum esse recensendum...... Fateor, post Filiorum Dei Verba, sacrorumque Historicorum, neminem mea sententia hoc Auctore se simpliciorem præbere, quippe minus imaginationem exerceat: dicam esse cor Dei, quod loquitur ad cor hominis.... Felix ille Vir Franciscus de Sales debitam de hoc Libro sententiam fert, nunquam in hoc genere preclariorem utilioremque prodiisse, & si in pluribus vitæ suæ scriptoribus, & ex ipsiusmet epistolis octodecim annorum spatio cum semper secum habuisse non confirmarent; ipsius scripta eum penitus omni tempore in corde insitum testarentur. Quod si quis & in Auctoris nostri lectione, & in felicis ejus Præsulis Operibus fuerit mediocriter versatus, confiteatur necesse est, non solum præcepta atque documenta: sed verba, locutiones hunc*

(a) Parif. 1648. in Epist. & Præf.

hunc eximium Præsulem suis scriptis inseruisse. Philothea digna quidem Filia Pugnæ Spiritualis est. Aut saltem, ut Pecudes Jacob albas, viridesque virgas ante oculos habentes agnos, ex eodem colore peperere; ita Sanctus hic Antistes ante oculos, mentemque suam librum hunc, dum suos scriberet, habebat; ut nitidissimis undique signis gloriose resplendeat. Duo hæc legentium cordi infixa velim. Unum est, hoc volumen parvum quidem ratione paginarum, sed materiæ, ac sapientiæ Gratia maximum esse dicendum; omnium enim virtutum compendium est. Alterum; si moralem tam illibatam, si consilia tam certa, si res tam necessarias, si stylum tam robustum, atque humilem, hic Liber profert, velim in animum inducant, ac sibi persuadeant, hunc Librum gravitate, atque præstantia cæteros antecellere.

(*a*)Andræas du Val in Vita V. Mariæ ab Incarnatione; *Antequam religionem ingrederetur, quosdam Spirituales libros legendos suscepit; Beatæ Theresiæ a Jesu semitam Perfectionis, & Pugnam Spiritualem, de qua altissime sentiebat. Cum Tyronibus Amiensis Monasterii frequenter agitabat de hoc Libro sermones,*

G 6 *cu-*

(*a*) In Vit. ed. Ven. 1612. lib. 2. cap. 13.

cupiens, ut Antistitæ hujus lectionem Monialibus suis sedulo insinuarent.

(*a*) Casimirus Lezensky Predicatorum Ordinis Magister Clarissimus Pugnam Spiritualem, *Opus longe dignissimum, Christi fidelibus, maxime contemplativis, supremi Numinis cultoribus, satis perutile*, dixit, & approbavit.

(*b*) Bruno de' Solis piissimus Carthusianorum ordinis Alumnus, judex Ascetica in re satis instructus, in Versione e Lusitano in Castellanum idioma Pugnæ Spiritualis; *Auctor*, inquit, *eximius fuit spiritus, & a Deo peculiari lumine superfusus. Ejus doctrina sublimis licet, plana tamen, ac opere facile perficienda, atque e sinu Dei desumpta*, quod idem, iisdemque verbis ex testimonio Zippæi declaravit Damianus Gonzales del (*c*) Cueto in versione Hispana Pugnæ Spiritualis.

(*d*) Sanctus Milani editionem Mediolanensem hac Præfatione illustravit. *Hæc opella optima, atque necessaria est ad omne Genus personarum: ut quisque* *sc*

(*a*) In Approb. Oper. Adeot. Nierse: Jeroslaviæ 1682.

(*b*) Edit. Matrit. 1672. in Præf.

(*c*) Edit. Vien. 1722. in Præf.

(*d*) Edit. Mediol. 1593. Bergom. 1594.

se defendat a comuni hoste, & hujusmodi totius terrarum orbis juditium esse confirmant plurimæ ac repetitæ editiones, quas usque adhuc productas esse cognoscimus: quapropter nihil obstat quin asseram, hoc opus tum propter Auctorem, qui maxime servus Dei est, tum propter plurima, quæ in ea inveniuntur, gratissimum futurum. Nihil itaque est cur miremur tam brevi annorum curriculo, quatuor scilicet elapsis annis, in præcipuis Italiæ Urbibus editum, & tot hominum Spiritualium, atque sapientum manibus pervolutum.

Ambrosius Mája S. Theologiæ. Doctor suis Panormitanis sic exhibuit, (*a*) *Opus magni emolumenti est Pugna Spiritualis, omnibus in via Domini progredi cupientibus. Beata nostra sors! Cum* Laurentius Scupoli *hostium nostrorum vim, atque dolos perspectos haberet, hujus Pugnæ Spiritualis opera non solum armis; idest virtutum exercitu, eos instruere, sed tam cumulate nobis in hac bellandi arte præcepta tradere conatur; ut, opem ferente Deo, victores simus, eaque corona dignemur, qua legitime certantes coronabuntur. Hujusce Libelli adeo fama innotuit; ut sepe, sepiusque fuerit edendus.* Jo.

[*a*] In edit. Panorm. per Angelum Orlandi 1615. in Nuncup. 1. & 2. Partis.

Johannes Franciscus Marinoni hæc de Spirituali Pugna (a) *cum tibi vehementer in votis sit quonam potissimum Libro uti debeas ad perfectionem comparandam, Franciscus Salesius tibi Pugnam Spiritualem profert*. Nicolaus de Bois (b): *Maxime esset optandum; ut Animæ ad perfectionem inhiantes cum Pugna Spirituali necessitudinem, ut Franciscus Salesius, inirent*. Cosmas Erasmus (c): *Pugna Spiritualis ad animabus, in Cælum petentibus, opem ferendam perutilis.*

Henricus Bacco (d) *Pugna Spiritualis non eruditione tantum, sed existimatione, ac decore apud Religiosos Viros magno in prætio habita*. Carolus Manolesso (e): *Instituta fuit hæc Pugna Spiritualis ab Heroe perillustri inter eos, qui sapienter Spiritualibus de rebus peregerunt. Jucundissima fuit D. Francisco Salesio, qui, cum armamentarium paratissimum, quod nunquam ingrediebatur quin nova semper arma ad suam utilitatem non invenerit, eam esse intelligeret, secum sem-*

(a) Loc. cit. edit. Mediol.
(b) Edit. Col. Agrip. 1643.
(c) Ibidem.
(d) Edit. Neap. 1599.
(e) Edit. Bonon. 1610.

semper gerebat. Simeon Perlasca (*a*) : *Hunc Librum denuo ante omnium conspectum educendum duxi; ut ad omnium utilitatem hujus servi Dei præcepta paterent*. Andreas Viani (*b*): *de Libri hujus utilitate conscius in lucem prodire studui*. Joannes Bazacchi (*c*) : *Sapientum juditio Liber hic doctrina perutili, salubrique explicatur*. *Librum hunc, vere Aureum, luce dignum censeo* (*d*). Lorinus, Regius in Præfectura Lugdunensi Procuraror. His, quos confertim referre debuimus, ne tanta rerum copia opprimamur, eos specialius supponimus, licet perpaucos, qui ex Inclita Jesu Societate Librum, a sapientissimis Viris summo honore habitum, emeritis laudibus ornarunt.

Primus, qui nobis occurit, Thomas Sanchez est, Matritensi in Accademia Theologus celeberrimus, qui Solisianam Pugnæ Spiritualis Versionem sic approbavit. *Pugna Spiritualis* Laurentii Scupoli *Clerici Regularis Thesaurus est pretiosissimus Spiritus Sancti, omnibus*

(*a*) Edit. Bonon 1603.
(*b*) Edit. Papi. 1611.
(*c*) Edit. Placent. 1599.
(*d*) Edit. Lugdun.

bus linguis, nationibusque percelebris. Maximæ sunt Deo grates agendæ hunc Librum, P. Solis opera ad Castellanam nationem nostram pervenisse. Quot verba tot equidem præconia tribuenda videntur. Pe-reximiæ laudis argumentum, Divo Francisco Salesio fuisse tam jucundum, tantis laudibus evectum, tanta discipulis cura commendatum, ut illum æquipararit, immo in aliqua parte operi de Contemptu mundi prætulerit. Hic denique ille Liber est, ex quo principium, progressum, atque finem seraphicæ illius doctrinæ, qua ipse utebatur, & per quam alios suaviter, sapienterque docebat, deduxisse testatus est.

Secundo loco Petrus Moncada (*a*) recensendus est, qui in suo de Communione spirituali commendato opere hæc inseruit: *Pugna Spiritualis, ad quam D. Franciscus Salesius omnes mortales contendere desiderabat,..... idem docet maximus Vir* Laurentius Scupoli *in Pugna sua Spirituali.*

Joannes Brignon (*b*), qui Pugnam Spi-

(*a*) In opere Hispano-Italice *pratica della Comunion Spirituale* Matriti 1695. 2. edit. a Provinciali Societatis Jesu approbata.

(*b*) Versio Gallicæ edit. Parisiensis 1688.

Spiritualem *Laurentii Scupoli* ex origi. nali Gallice edito ab Olympio Masotti Clerico Regulari Gallicam itidem, & ipse vertit, ac edidit, versionem suam sic locupletavit. *Pugna Spiritualis hujusmodi Liber est, qui suo titulo Auctorem probat. Evangelicarum doctrinarum compendium est, & super omnia sui ipsius abnegationem, & contemptum insinuat. Legi non potest quin divina ejus doctrina non præluceat. Quicumque bene ea utitur, brevi spiritualis fiet, & a creaturis, ut cum creatore uniatur, citissime disjungetur. Plura exempla proferre possem; uno tamen Francisco de Sales contentus, qui viginti annorum spatio hunc secum Librum traduxit, & qui repetita lectione ad eximiam sanctitatem pervenerit. Suum directorem appellitabat, & illis, quorum spiritum moderabatur, lectionem vehementer commendabat. Nec minoris faciebat Librum de Imitatione Christi, cui tamen Pugnam Spiritualem præferebat. Nam si utriusque operis idem finis sejungendi animas ab humanis omnibus, rationem tamen disparem esse sentiebat. Imitatio enim Christi coacervatio est sententiarum non perfecte invicem convenientium; at Pugna Spiritualis sermones*

suos

suos in longum protrahit, conjungit, resque funditus pertractat. Quomodocumque sit, quotidie manibus gerebat, & capite saltem, vel pagina inlecta non dimittebat. Qua assidua lectione spiritum, regulasque ex ea traxit, quibus in suas cupiditates, & in cordis motus absolute dominabatur.

Scientiarum atque Bonarum Artium Trevoltiana in Accademia Rectores: (a) *Librum hunc devotum, & omnium consensione commendatum*, brevibus, sed omni existimatione dignissimis hisce verbis ultro citroque illos reprehendere videntur, qui in animabus per Christianæ perfectionis semitam dirigendis nunquam hoc *omnium consensione commendato Libro* utuntur, ac inter alios, quos legendos præbent, hunc admittere dedignantur.

Tantorum Virorum agmen jure potissimo ac merito, ut claudat, Sacerdotem pietate, eruditione, atque rerum seligendarum judicio cultissimum Cajetanum Volpi admittimus. (b) Hic cum Pugnam Spiritualem nitidissimis Comini formis Patavii, omnibus, etiam minusculis licet, mendis repurgatam, cum

[a] Anno 1713.
(b) Edit. Patavi. 1724. & 1737. in Pref.

cum produceret, Cajetano Regularium Clericorum Patriarchæ inclito, utpote *Laurentii Scupoli* Auctoris, Parenti Supremo, atque optimo, eam devovit: In Isagoge vero, quam, ad vindicandum legitimo Scriptori opus, præire voluit, de eodem hæc verba præcipue, albo æternoque scribenda lapillo, reliquit ..... *A mortalium consuetudine remotos esse necesse sit, eos, qui Pugnam Spiritualem unam ex insignibus illis celebrioribusque operibus esse non faterentur, quæ super alias hujusmodi emicat, inceditque,*

Quantum lenta solent inter viburna cupressi,

& in quibus, simpliciter scripsit, unctio Spiritus Sancti indita continetur. Quapropter frequenter perlecta, & bene a suo studentibus profectui perpensa, mirum in modum mores immutare, humanas cupiditates e cordibus evellere, hominesque carnales spirituales, ac solum Deum quærentes, efficere, in presentiarum, & in elapsis annis, consuevere. Pauca ea, sed gravissima, quæ ad hunc Librum commendandum testimonia congessimus; &, ante omnia juditium probatissimum, quod D. Franciscus de Sales tulit, quemcumque fortassis ignavum de hujus libri dignita-

te

te certiorem faciet , & multi , qui viam Domini asperam , & omnino difficilem reformidant , metum forte abiicient , se se hujus directoris suavissimi, ut habendus est hujus operis Auctor , qui in deliciis Illius mitissimi , & amabilis Viri fuit , arbitrio committentes ...

Plura denique variis linguis scripsere in Pugnam Spiritualem honorificentissima: Stephanus Guaraldus (*a*), e Sacro Prædicatorum Ordine: Timotheus de Raynier (*b*) Minimorum Sacerdos: Adeo-datus (*c*) Niersesovichitz Benedictinus: Cacciatur Archiel Armenus (*d*) S. Basilii Monachus: Henricus (*e*) Duhamel, Mathæus Feydeau (*f*), Gaspar Kirmayr (*g*) Ludovicus Monza (*h*), Carolus Antonius Meazza (*i*), & ex Theatinis quamplurimi, quorum congregatio tanto filio, tantoque opere gloriatur, quæ omnia pretermittimus;

(*a*) In Edit. Venet. 2. 1589.
(*b*) In Edit. 4. Paris. & Venet. 1746.
(*c*) Jeroslaviæ 1687.
(*d*) Venet. 1723.
(*e*) In Edit. Colonien. ut supra.
(*f*) In Edit. Colon. 1692.
(*g*) In Edit. Monachii 1667.
(*h*) Mediol. 1672.
(*i*) Monachii 1667.

mus; ut tandem catalogum Editionum præbeamus, quas plerumque Innocentius Raphael Savonarola Regularis Clericus, de Pugnæ Spiritualis libro optime in primis meritus, maximo per varias Provincias labore collegit, atque Theatinorum Bibliothecæ Patavii, cunctis conspiciendas, & in perpetuum asservandas, consignavit.

Anno itaque reparatæ salutis 1589. prima prodiit editio Veneta Typis Johannis, & Pauli Joliti de Ferrari; quam D. Andreæ Sanctimonialibus Hieronymus Comes de Porzia nuncupavit, *Laurentio Scupoli* in ea Civitate moram trahente: viginti quatuor Capitula præfert, licet Typographorũ incuria, decimo octavo bis repetito tria supraviginti tantum recenseantur; Paginis 93. comprehenditur, atque hoc adposito



ſigno concluditur. *Extat Januæ in Cleric. Regul. Bibliot. S. Syri. Venetiis in Cleric. Regul. vulgo Somaſchi, ad S. Mariam* della Salute, *& Patavii apud Cl. Virum Cajetanum Volpi.*

1589. 12. *Venetiis* eodem anno, iiſdemque Typis, ac nuncupatoria, novem tamen additis capitibus nomine Servi Dei: *extat Patavii apud eumdem, & Matriti in S. Mariæ del Favore apud Emmanuelem Grimon diverſo a prima editione expreſſo ſigno*, *& ex Cominiana Edit.* 1724.

1590. 12. *Venetiis* iiſdem Typis: *extat in Bibl. Cleric. Reg. Patavii, & Brixiæ*.

1590. 12. *Romæ* ..... colligitur ex editione Placentina 1599. ubi hæc verba *ſtampato prima in Venezia, e poi in Roma.*

1590. *Verſio, & editio Germanica*: colligitur ex verſione latina Jodoci Lorichii, ac editione Friburgenſi eiusſdem operis 1591.

1591. 12. *Venetiis* Jolitanis Typis *ext. in Bibliot. Cleric. Reg. Patavii (a).*

1591.

(a) Per hæc circiter tempora Pugnæ Spiritualis Editionem quamdam Theatinorum titulo ornatam apparuiſſe, facile arguitur ex D. Franciſci Saleſii verbis a Petro De Camus collectis, atque a nobis ſuperius allatis, *hic* *Li-*

1591. 16. *Friburgi* in Brisgovia versio latina ex Italico. Germanica, hoc titulo. *Pugna Spiritualis: tractatus vere Aureus de perfectione vitæ Christianæ ab incognito, sed pio, ac docto Viro primum Italice scriptus, dein ab alio item incognito in Germanicam linguam versus, demum latine reditus a Rev. Jodoco Lorichio, Friburgensi in Universitate sacræ Theologiæ professore: Priori Carthusiæ S. Martini in Silva Nigra dicatus, ext. Patavii, & Venetiis apud Clericos Regulares.*

1592. 8. *Florentiæ* apud Johannem Sermatelli; *eruitur ex editione Alexii du Buc Parisiis* 1696. *&* *Romæ* 1698.

1594. 12. *Bergomi* per Cominum Ventura. (a) Hanc, & alias hujusmodi editiones

Liber, ab illustris illius Congregationis Sancto Viro suo dissimulato, & Theatinorum scripto, Nomine, elucubratus est.

(a) Arbitramur hanc esse Mediolanensis alicujus editionis reimpressionem, tum quia pluries in celebrioribus Italiæ Urbibus recusa esse dicitur, tum quia habeatur a mense Januario superioris anni 1593. nuncupatoria Sancti Milani Mediolanensis ad Danielem Plantanida pariter Mediolanensem Mediolani moram trahentem. Ab eodem Milani *Theatinis* aperte adjudicata. Dolores Mentales Christi Domini, *Theatinorum* opera emendati, eidem adjecti sunt. *Ext. Patavii in B. Cleric. Reg. & Clar. Volpi* ex dono I. R. S. C. Regularis.

tiones, quæ Theatinorum Nomenclaturam præferunt, hoc signo Th. N. adnotabimus.

1594. 12. *Venetiis* apud Jolitas *ext. in selectissima Bibliotheca ornatissimi undequaque Viri Apostoli Zeno: enuntiatur etiam ab ed. Messanensi* 1598.

1594. *Firmi in Piceno* per Januarium de Monti, & Joannem Bombello. *ext. in Bibl. Ulyssiponensi C. R. Theatinorum ex epist. Joseph Barbosa ad I. R. Savonarola* 1743.

1594. 12. *Cremonæ* apud Barruchinum Zane instante Petro Gennaro, qui B. V. Mariæ sacram voluit. *ext. in B. Patr. Cler. Reg. & ex Cominiana.*

1595. 24. *Parisiis* Versio prima Gallica a Religiosis Cistercensibus Reformatis (vulgo *Fogliantini*) Comiti de Porcia attributa, ab editionibus Gallicis passim commemoratur, a Grignon in laud. op. pag. 47. Refertur etiam, cum eorumdem Præfatione, a D. S. Parisiensis Universitatis Doctore Theologo in edit. Paris. 1608. *ex Cominiana.*

1596. 8. *Florentiæ* per Philippum Junti. *ext. in B. Cler. Regul. Bononiæ.*

1598. 12. *Messanæ* per Petrum Brea, juxta exemplar Venetum Jolitanum

1594.—

1594. *ext. in B. Cler. Reg. Patavii.*

1598. *Lugduni* Versio Gallica refertur a P. D. Raphaele Savonarola C.R. in eximio opere: Orbis Literarius Universus V. *Pugna Spiritualis*; quod in Theat. Patavina Bibliotheca asservatur m. S. Tomis XLVIII. dispositum.

1598. *Londini* in Anglia. Versio Anglica ex Italico exemplari a Johanne Gherardi Societatis Jesu, *enuntiatur ab ed. Rothomagensi* 1613. *ab Alegambe, & Sottuello in Bibliotheca scriptorum Societatis Jesu, ab Alexio Du Buc Cler. Reg. Theat. Parisiensi* 1689. *& ex Cominiana.*

1599. *In Germania* Germanico Idiomate *enuntiatur a Duacensi edi.* 1663.

1599. 16. *Friburgi in Brisgovia:* altera latinæ Jodoci versionis editio', ubi enuntiatur editio 1591. in liminari epist. *Vid. Bib. Carthusianam; & ex Cominiana* 1724.

1599. *Versio Asiatica*, indicata a sequenti editione Placentina.

1599. *Versio Indica*, a sequenti Placentina enunciata.

1599. 12. *Placentiæ* per Johannem Bazachi, in hac editione declaratur in viginti præcipuis Italiæ Urbibus editum

H opus

opus fuisse quocumque pene Europæ Idiomate, Asiatico etiam, & Indico: *citatur passim a Masotti, Meazza, Baraticri, Du Buc, Grinnon, Cavalcanti, aliisque editionibus, & potissimum a Cominiana.*

1599. 12. *Placentiæ* iterum per Johannem Bazzachi: editio a Superiori diversa per nuncupatoriam Eleonoræ Marchioni Viritelli Pallavicinæ, *ext. Patavii in Theat. Bibl.* (Th. Nom.)

1599. 12. *Duaci* Versio Angelica eruitur *ex Rothomagensi* 1613.

1599. 12. *Neapoli* per Tarquinium Longo instante Henrico Bacco, ab eodem Auctore ampliata, Rutilio Gallicini Metropolitanæ Ecclesiæ Canonico his Italice Verbis dicata.... *che se le altre opere a mia stanza stampate sono state tutte di molto profitto, maggiormente spero in questo Combattimento Spirituale tante e tante volte stampato, e ristampato nelle principali Città dell' Italia, coll' aggiunta dello stesso Auttore, di molti Capitoli interi, che nelli stampati non erano:* huic editioni præcedit celebris nuncupatoria, quam superius excripsimus, Jesu Christo Militantis Ecclesia Duci supremo, ac Triumphatori, nec non ejusdem

ſdem Auctoris præhabita Iſagoge, quæ omnia ipſius manu exarata Authographa in Divi Pauli Majoris Neapolitano Tabulario ab anno 1726. quintili menſe perſpeximus, *ext. hæc editio in Pat. Cler. Reg. Bibl.* (Th. Nom.)

1599. 12. *Neapoli* per Tarquinium Longo ejuſdem operis ſecunda pars addito opuſculo, *modo di apparecchiarſi agli aſſalti del nemico nel tempo della morte; ext. ibidem.* (Th. Nom.)

1599. 12. *Venetiis* per Jolitas *ext. Patavii in eadem Bibl.*

1599. 12. *Venetiis* iiſdem Typis: differre a Superiori ex variis Chalcographiæ ornamentis, lineiſque ſatis coſtat. *ext. ibidem, & apud Grinnon cap. 5. n. 13.*

1599. 12. *Mediolani* ex Typographia Hieronymi Bordoni, & Petri Locarne *ext. in Patavina Cler. Reg. Bibl.* (Th. Nom.)

1600. 8. *Florentiæ* per Philippum Giunti addito opuſculo: *ſentiero del Paradiſo*, quod tunc primo apparuiſſe putamus, *ext. in Bibl. Theat. Bergomi.*

1600. 12. *Neapoli* per Tarquinium Longo: eadem quæ ſupra editio *ex tertia editione* 1603. (Th. Nom.)

1601. 12. *Bononiæ* per Johannem Baptistam Bellagata *ext. Veronæ apud PP. Cappucinos, & Athestis apud Pium Virum artis Ferrariæ Magistrum.*

1602. 12. *Florentiæ* per Michaelem Angelum Sermatelli Camaldulensiium Eremitarum Priori oblata *ext. in Bibl. Theat. Florentina & Ulyssiponensi.*

1603. 12. *Bononiæ* per hæredes Rubeos instante Simeone Perlasca *est. in Theat. Patavina Bibl. & Cappuc. Veronæ* (Th. Nom.)

1603. 12. *Cremonæ* per Baruchinum Zane: *ext. in Placentina Theat. Bibl.*

1603. 12. *Neapoli* per Tarquinium Longo tertia Neapolitana impressio *ext. in Patavina Theat. Bibl.* (Th. Nom.)

1603. 12. *Neapoli* per eundem, ejusdem operis secunda pars *ext. ibid.* (Th. Nom.)

1605. 4. *Neapoli* per Tarquinium Longo secunda pars ab editione Veneta 1609. in Regia operis approbatione nuncupata, cujus primam pariter hoc anno, eadem forma editam, putamus, sed nobis usque adhuc ignotam. (Th. Nom.)

1606. 12. *Coloniæ Agripinæ* a Jodocho Loricchio latine redita, *costat ex Comi-*

niano

niano Catalogo, *Baratieri*, *&* *du Buc Artic.* 6.

1606. 12. *Romæ* juxta exemplar tertiæ Neapolitanæ, ext. in D. Sylveſtri Quirinali Montis Tabul. hæc fortaſſe eſt editio, quam, ſibi Roma delatam Pariſiis, refert D. S. Pariſienſis Doctor in editione 1608. Regularibus Clericis adſcripta. (Th. Nom.)

1606. *Duacenſis* Latina ab Anglica colligitur ex Duacenſi 1693.

1607. 12. *Placentiæ* per Johannem Bazacchi *ext. in Patavina Theat. Bibli.* (Th. Nom.)

1608. *Barcinone* per Johannem Simeonem, quam cujuſdam Religioſi titulo, procurante Franciſco Doctore Droguetto, prodiiſſe teſtatus eſt Gregorius Argaiz, e Benedictinorum Ordine in Libro *Soledad Laureada* Tom. 6. pag. 69.

1608. 24. *Pariſiis* nova Gallica Verſio A. D. S. Patria in univerſitate profeſſore Theologo, qui opus Divo Franciſco Saleſio, in terris adhuc agenti, dicabat, atque contra Fulienſium mentem Theatinos Pugnæ Spiritualis Auctores dixit, *ext. Patavii in Cleric. Reg. Bibl. ex Cominiana* (Th. Nom.)

1609. 12. *Ticini Regii* per Andream Viani devotæ sanctimoniali Aldæ Victoriæ Cornazani dicata *ext. Patavii in Theat. Bibl.* (Th. Nom.)

1609. 16. *Friburgi in Brisgovia* latina Versio Lorichii: *enuntiatur in editione v643.*

